

Pharmacopœi Parisienses

Ex Dono Magistri
Gillet Antiquioris
Ædilis & Præfecti.

[illegible] 1887 [illegible]

1141

PRAXIS ALCHYMIÆ,

hoc est, Doctrina

DE ARTIFICIOSA PRÆPARATIONE PRÆCIPVORVM MEDICAmentorum Chymicorum: duobus libris explicata:

QVORVM PRIMVS

DE DESTILLATIONE AQVARVM ET OLEOrum: de Salium & Extractorum, Quintar. Essentiarum, Aquarum vitæ, Florum & Balsamorum &c. confectione: ab autore anonymo, propria experientia conscriptus est:

Alter

DE LAPIDE PHILOSOPHORVM AGIT: IN quo vt recte is comparandus sit, remotis omnibus figuris & parabolis, dilucide docetur. Vterque correctus, & declaratus

OPERA

ANDREÆ LIBAVII SAXO-HALENSIS, Medici & Physici Rotenburgensis ad Tubarim.

Nunc ex Germanico idiomate in Latinum traductus.

ANNEXVS EST LIBELLVS IACOBI BESSONI de absoluta ratione extrahendi olea & aquas, à medicamentis simplicibus, &c.


Cum Priuilegio.



FRANCOFVRTI,

Excudebat Ioannes Saurius, impensis Petri Kopffii.

M. DC. IV.



VIRIS EXCELLENTISSIMIS ET CLARISSIMIS D. D. CASPARO BAVHINO & D. Iacobo Zwingero, Medicis ac Professoribus Basileensibus celeberrimis.

D. Ioanni Hartmanno, Mathematico Professori Marpurgensi Philiatro.

D. Sigismundo Schnizero Physico Pabebergensi.

D. Georgio Rumbaum, Vratislauiensium Poliatro.

D. Hieremiæ Kundschio Oppauiensium Protophysico.

D. Martino Rulando Ratisbonensium Clinico.

D. Hieronymo Fabricio Medico VVinsheimiensi ordinario.

Amicis suis plurimum colendis, Salutem.

FAma studiumque rei Chymicæ, cum paßim ita diuulgatum sit, vt vel in contemptum apud plerosque

abierit: ab aliquibus exercitium artis huius, vt nouū, insolens & inexploratum non admittatur: ab alijs vero vice versa nimium Vulcano addictis, ceu vna solaq; totius veræ Medicinæ radix, fundamentum, consummatioq; ponatur & extollatur: quasi (vt istorum verbis loquar) summa in hac prædestinatio consistat, & sine Chymia, eaq; sola, nemo vnquam medicus bonus esse, saluaq; conscientia medicinam facere poßit: maxime dum speciosè & temerè vniuersales quasdam Medicinas omnibus morbis congruentes, Pseudochymici quidam fingunt, quò sic incauti credulique ægrotantes, & suæ salutis percupidi, horum blandimentis eò facilius irretiantur & decipiantur: Hinc quam maxime operæ precium videtur, synceri-

cerioris Medicinæ amplitudinem plures nouiſſe, atque Chymiæ veræ, quæ (vt aliæ ſcientiæ, ipſa quoq; Philoſophia) Medicinæ vtiliter famulatur & inſeruit, terminos poſuiſſe. Atq; cum illud iam multis ſeculis à viris ſummis laudabiliter patefactum ſit omnibus: hoc vero non ita pridem tentari cœperit â multis, quorum hic meminiſſe ſuperuacuum fuerit: ideo peritis in vtraque artis parte & exercitatis, hoc porro committendum eſt. Etſi vero inter omnes (teſte etiā veſtro calculo) nemo præter vnum D. Andream Libauium, virum abſolutiſſimum, felicius in docenda & methodo Chymicam diſciplinam tradenda, verſatus ſit, qui ſcilicet ſimul veræ Chymiæ â ficta & fucata diſcrimen oſtenderit, illiusq; limites explicarit:

Quod cum plurima de hac arte, illius monumenta doceant, etiam hoc ipso tractatu, in quo particulatim exempla varia artificij Chymici, suis explicationibus illustrata proponuntur, satis perspicuum euadit cunctis: Tamen cum hunc librum, qui insigni vtilitate non caret, publici iuris facere in animum induxisset, non tam Medicis & pharmacopæis, sese hoc studio oblectantibus prodesse voluit: quam suam de Chymicis remediis sententiam liberè & ingenuè, licet non ex professo, occasione tamen accepta, exponere, & ad alia grauiora sibi aditum parare decreuit.

Porro cum videret multorum in hac re studia inania, quædam nimis laboriosa, multorum vero malitiosa, omnium tamen inter se vt plurimum

diuersa & dissentanea esse: Ideo hac compendiosa ratione, illis velut formulam & normam certam exhibere conatus est, quo vel ipsi pharmacopolæ, vel etiam Medici, quibus hæc res curæ cordiq; est, de extractione medicamentorum Chymicorum certiores, & in vsu securiores forent. Etsi vero hoc ipso veteris Medicinæ (vt quibusdam contrarium videri posset) splendor & dignitas non labefactetur aut tollatur, sed accessione Chymicorũ sciẽtia rei Medicæ locupletetur & illustretur: ab illa tamen Alchymia quæ Paracelsum autorem solum agnoscit, prorsus alienus est, vtpote qui artem hanc non à Theoph: Paracelsô inventam (quæ citra omnem controuersiam longè antiquior est) neq; ab eodem recte vereq; excultã aut traditã

esse nouit, vt ex publicis Paracelsi scriptis satis luculẽter demonstrare licet: Nihilominus tamen ea quæ tã apud Paracelsum bona extant, quam quæ ab aliis, ante & post ipsum inuẽta sunt, infinitorũ penè autorum scripta euoluendo, sua insuper propria experientia adiutus, in vnum quasi fasciculum congerere, ac in ordinem certamq; methodum, artem (quod antea â nemine tam feliciter effectum est) redigere sategit. Cuius rei quamuis illustria exempla sunt in maiori suo opere Alchymiæ, tamen in hoc ipso tractatu anonymi autoris, quem notis â se declarandũ censuit, illa iam ad rectũ vsum transferre, ipsaq; praxi confirmare & comprobare statuit: donec etiam iis, quæ accuratiori iudicio, & inquisitione vlteriori inuenta essent, & his adiici

adiici potuissent, per commentaria sua propediem euulganda, satisfaceret.

Quamuis autem editionem illam priorem huiusce operis Germanicam, certis de causis sic susceptam, clarissimis quibusdam Medicis, vtpote D. Ioachimo Camerario, D. Ioh. Hartmanno Beyero, D. Christophoro Brunoni, D. Cosmæ Bornemanno, D. Zachariæ Brendelio &c. inscripserit: attamen cũ plures quoq; alii illius amici hunc laborem probarent & ab eodem latinam editionem flagitarent: ipse etiam hoc vnum semper in votis haberet, vt certa quædam ratio Chymicorum medicamẽtorum publice extaret, consensusque de hac re mutuus aliquando plenior esset. Ideo monitu illius hoc qualecunq; in me recepi, seu

officiũ seu negotiũ, nõ tã vt honesto illius & amicorũ desiderio à me satisfieret, quam vt me ipsum iidẽ instruerẽt. Licet autem meam in hoc studiorum genere infantiam facile agnoscam: nihilominus tamen illorum apud me autoritas & integritas tantum valuit, vt hanc etsi rudem versionem, hoc cultissimo seculo potius in lucem prodire non erubuerim, quam vt desiderantes ista latine habere (pro vt subiecta materia, meaq; tenuitas permisit) diutius suspenderem, aut variorum iudicia reformidarem.

Cæterũ nõ me latet in hac arte aliquos exercitatissimos esse, qui talia flocci facturi sunt, & qui hac opera nõ solum carere, sed etiam qui meliora & doctiora proferre potuissent. Verum quia huc vsque (nisi me fallit opinio) nihil

nihil plenius & solidius hisce editum est: ideo forte hæc quoque editio eo gratior aliis futura est, quo aliqui istius artis scientia minus instructi fuerint. Liberum nihilominus est peritioribus etiam sua promere: multa namq; supersunt quæ vel oculatissimos fugiant: vt ausim adhuc asserere quod Seneca ait, venturum tempus quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat & longioris æui diligentia. Vel vt. 7. Quæstion. Nat. habet: Multa seculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleuerit, reseruantur. Nec rerum natura sacra sua simul tradit.

Adiunctus autẽ est & Iacobi Bessoni Galli libellus, quem latinum etiam ante annos 45. Tiguri, Gesneriani typi excuderunt, mole quidem exiguus & compendiosus, vtilißimus tamen,

men, & nequaquam ab autoris mente abhorrens.

Vobis autem viris Clarissimis & amicis honorandis, ista dedicare placuit, quod imprimis D. Libauij amãtißimos, quod veræ Philosophiæ & Physicæ practicæ cultores studiosißimos, admiratores rerum naturalium, atq; ex ijsdem arte eductorum operum obseruatores & imitatores esse sapientißimos norim. Vos ista rogo iudicate: si displicent corrigite, sin minus, probate, augete, defendite atque valete. Cal. Decemb. 1604.

Vestri omnium addictissimus & deditissimus

Leonhardus Doldius, Med. Norimberg.



TRACTATVS CHYmistarum


De Destillationibus & Extractionibus.

IN arte destillatoria, imo in quauis separatione, dum terrena & crassiora à subtiliorib. purioribus & spirituosis separanda sunt, ante omnia vasorum, instrumentorum & fornacum appellationes, atque etiam ignis gradus tenere oportet, quo omnia eo solidius artificiosiusq; in destillatione præparentur & instruantur.

Huiusmodi instrumentum appellant Cucurbitam, vel Bociam, siue materia sit ex vitro, siue aliunde parata: Oportet autem habere copiam aliquam horum vasorum, tam magno-




magnorum, quam paruorum, amplorum & angustorum, profundorum & humilium.



Duæ Cucurbitæ sibi inuicem incumbentes, arcte colligatæ ac diligenter vesicis bouillis obstructæ.


Alembicus seu galea dicitur, aut pileus, horum etiam



opor-

oportet copiam in promptu esse.


Vasa vitrea inferne globata, col- q




lo satis procero surgente, vulgo phiolas appellant.

Incur-

Incuruata vaſa, Retorta appellur, materia eſt vel vitrum, aut ..lloſa terra igne excocta.



Vas magnum excipiens, Recepteculuam dicitur, quod menſuras



continet minimum 20. aut 25. Materia illius eſt vitrum, quod conflatur in Haſſia, quorum vſus in deſtillationibus creber.

Fornaces. Fornacum variæ ſunt differentiæ:

tiæ: Calcinationum in qua res ad cinerem vel calcem vruntur. Reuerberationis, qua igne luculento flagrante vtimur, ad vrendum seu reuerberandum.

Sunt præterea fornaces cinerum, arenarũ, aquarum seu Balnei Mariæ & aliæ plures seorsim describendæ.

Multum in igne situm est, ita vt huius differentias internovisse & rectè adhibere posse, præcipua pars sit artis destillatoriæ. *Ignis.*

Leuissimus ignis, & ad destillationem debilissimus ac blandissimus, est cũ Bal. M. vel ad Solis radios peragitur destillatio. Hoc intensior est ignis cinerum.

Tertius gradus est in arena: Quartus atq; intensissimus est ignis nudi sine Balneo, cinere, aut arena.

Sed ad singulos gradus ignis, requiruntur fornaces singulæ: quemadmodum id postea clare docebitur. Constitui enim omnia breuissime pro viribus declarare.

Destillatio aquarum.

Et cum variæ sint rationes destillationum aquarum ex herbis, foliis, florib. atq; radicib. præcipuos tamẽ & præstãtiores modos solũ describã.

Modus primus quo ex herbis magna copia aquarum vna vice extrahitur.

ACcipe virgulã mensuralẽ, qua metire vesicæ vel instrumenti capacitatẽ hãc in æquas partes 4. virgula partire. Herbas vero quaslibet in mortario prius cõtunde, vt formã pultis referãt: repleatur his vna pars capacitatis vesicæ, affunde tantũ aquæ fontanæ puræ vt tres partes vesicæ oppleãtur cũ herbis prius contusis, reliqua vero pars quarta maneat vacua. Imponatur operculũ fistulatum: Cõmissuræ vesica bouilla madefacta ꝓbe obducãtur; extremitati rostri apponatur vitrũ ꝓ recipiente eodẽ pacto munitũ. Fornax expleatur carbonib. nõ accẽsis: horum summitati impone prunas 3. 4. quo inde omnes accẽdantur. Ostiolum inferius fornacis arcte obturetur, lutoq;


toq; perlinatur vt& alterum in summitate. Ex supremis vero 4. fornacis ventilabris, vnum saltem apertũ relinquatur: Atq; sic paulatim guttatimq; destillet liquor, (præstãtiores n. sunt aquæ, quæ paulatim stillant) Carbonibus fere absumptis, vt ignis pene in fornace extinguatur, plures adiiciendi carbones, ac singula pene horæ octaua parte, vel citius aqua ex supposito cantharo medio emittenda.

De hac ratione destillationis obseruandum, melius actũ iri, si herbis contusis affunderentur circiter 7. mensuræ aquæ calentis, atq; per horas 24. optime contectę reponerentur, ac eodem prædicto modo destillatio perageretur, sic liquor futurus esset efficacior.

Obseruãdũ etiã præterea primam mẽsurã exstillantis liquoris, seu herbarũ florum aut radicum, esse præstantissimam. Neque vltra 4. aut 5. mensuras per destillationẽ sunt col-

ligendæ aut extrahendæ: quibus extractis, vel igne extincto, vel ablatis carbonib. à destillatione cessandum metus enim est, ne si vltra prædictā quātitatem igne liquor extrahatur, id quod in vesica reliquum est, exarescat, fætore & vstilagine corrumpatur, vel ipsa etiā vesica damnū capiat. Vt id vites, vltra 5. cātharos nūquam extrahes: priores duo cāthari destillati liquoris, sunt ex optimis: posset etiā sine omni damno destillatio finiri, si tres canthari emanassent, nisi aromata vel herbæ satis calidæ & acres destillarentur, ex quib. cōmode 4. aut 5. canthari efficacis liquoris pararentur. Et hic exploratio conuenientissima est, si guttulæ descendentes sæpe gustentur, quę si insipidiores fuerint, ignis auferendi & ab opere desistendi tempus est. Cum tali destillatione, omnes fere herbæ pinguiores, oleum vna fundūt, quod per separatoria secernendum, hoc pacto.


Si



Si aqua ex vase separato rio omnis emissa sit atq; iam oleum digito adhæreat, oleum illud in vasculum mundum seorsim emittatur, ex quo per impositam gossypii mundi particulam, rursum in aliud vasculũ oleum guttatim defluat, q; obturetur arctissime & Soli per mẽsem exponatur. Vbi cum in fundo, turbidum aliquid videris, vel oleum minus fuerit clarum & pellucidum, iterum bis terue per gossypium ante in vas purum percoletur. *Oleorum seratio.*

Si liquor cum oleo per vesicã extractus purior, clarior & subtilior expetitur, infunde eum cum oleo in cucurbitam ex terra Waldenburgica vel vitro cõflatam, admoto alembico, substrataque charta humente crassiore, bibula, bene obstructam, colloca in Balneum M. appenso receptaculo vitreo, atq; igne leuissimo aquam & oleũ educito, studiose ca-

uẽdo, ne aqua Balnei ebulliat, alias li quor destillãd⁹ emphyreuma cõtrahat: Atque hoc pacto igne mitiori aqua pulcherrima & pstãs cũ oleo purissimo destillabitur, q iterũ vt antea segregãdũ seorsimq; custodiendũ erit. Quod si adhuc subtilior liquor p destillationẽ illã reqratur, ẽt tertio p B.M. destilletur quo sæpius n. destillãt aquę eo clariores puriores & subtiliores euadũt, estq; cõpẽdiũ quo aquæ pstãtioris plurimũ, minoriq; cũ sumptu acqritur. Ex aridis. Hoc pacto ex aridis omnib. herbis, seminib. aromatis & lignis aqua destillatur. ℞ Herbarũ siccarũ m. 5. incidãtur aliquãtũ iniiciantur cacabo, supfusa aqua fõtana pura calida, bene cõtegã tur, horisq; 24. sic pmaneãt: tũ instru mẽtũ seu vesica repleatur ad tertiam partẽ vsq;, vt quarta supsit vacua, & vt supra expositũ, destillatio peraga tur. Ex seminibus hoc modo colligi- *x E seminib.* tur aqua & oleũ ℞. sem. ℔. 1. contundatur minutim in mortario, infusa etiam



etiam aqua calente, die atq; nocte vna, destillatio fiat per vesicam. *Figura destillationis per instrumentũ seu vesicã.*

II. Modus destillationis aquarum per balneum.

ELige tibi herbas quas vis, concide aut cõtunde, quod melius putatur, iniice cucurbitæ ad dimidiæ partis repletionẽ, impositoq; alembico & bene obstructo immittatur B. M. & igne mediocri extilletur liquor Hoc modo herbæ cũ aquis raro reddũt oleũ, nisi herbæ prius vino ad 3. vel 4. septimanas immaceratæ fuerint, & tũ destillatio fieret. Animaduertendũ autẽ est, ne inter destillandũ per B. M. vnquam aqua balnei ob feruorẽ ebulliat, ne liquores stillantes prauũ acquirant saporem. Hoc modo paratæ aquæ, licet sint bonæ, inferiores sunt tamen his, quæ fiunt beneficio vesicæ, quæ sunt illis præstantiores, maxime si secunda vice per B. M. destillentur.

Notandum hoc loco est peculiare quiddam, qua ratione ex omnibus herbis, floribusque sal probus conficiatur. *Sal.*

Sume

Sume herbas arefactas, & in fundo cucurbitæ residentes ponantur in ollam capacem, operculo probe tectam: admoueatur igni è carbonibus accenso, incalescat tardè, post igne valido infra supraq; olla tota velut pruna candeat, horæ spacio, remisso calore, olla aperta reperies cinerem. De hoc cinere fiat lixiuium, more vsitato cum aqua pura: Lixiuium in tigillo coctione penè absumatur, tum reperies salem bonum herbæ ad destillationem electæ, qui bene asseruetur, si enim aquam ad medicinam validiorem desideras, huius salis quantum cultri extremitas capit, adde vasi vitreo aqua eiusdem plantæ repleto, sic aqua illa reddetur longè efficacior, multoq; minus corrumpetur, quàm aliàs soleret. Sal enim aquæ verus est balsamus. Quod si ad prædictum modum hanc aquam adhuc preciosiorem & sinceriorem requiras, tum destillatum aquæ affunde

herbis aliis recentibus, destillatióq; repetatur. Si vero hac ipsa adhuc præstantiorem & clariorem esse volueris, iam etiam secundo destillatam, infunde cucurbitæ mundæ cum Alembico conuenienter munitæ atq; per B. M. tertio iam exstillet: Si cantharum cucurbitæ dederis, sufficit si dimidium reddatur, idque custodiatur ad vsum, est enim virtutis efficacioris & odoris suauioris: quicquid enim subtile est vtile & nobile, id inter destillandum primo educitur. Et hæc est secunda ratio aquarum ex herbis eliciendarum, verum hoc pacto parum aquæ colligitur, plus requiritur temporis & sumptuum, quam si per vesicam fieret.

III. *Modus aquarum per fimum equinum.*

HIc est omnium vtilissimus modus, cuius beneficio aquæ generosissimæ & subtilissimæ fiũt, quæ odo-

odore, virtute, & efficacia, alias omnes longo interuallo post se relinquunt. Modus is est talis. Sumantur herbæ aut flores pro libitu, conterantur in mortario, quibus cucurbita Waldenburgica ad medietatem fere repleatur. Oportet autem cucurbitam collo esse præditam, cui alia cucurbita inseri apte possit cum collo, vt ex figura patet, rimis commissuræ bene vesica bubula occlusis: istas 2. cucurbitas sibi incumbentes & colligatas, ingere fimo equino & hanc rationem ego pro summo naturæ arcano habeo, quæ neq; hic describi, neq; sine manuum operatione demonstrari aut disci potest. Interea fimi loco cucurbitæ istæ in putrefactione Balnei roris detineri possunt: quod ideo roris Balneum vocatur, quia exhalatio & vapor aquæ calidus cucur-



bitam

bitam perpetuo æquali tẽpore fouet. Istud antem Bal. Roris, in quo omnes aquæ multo præclariores & subtiliores, sine adustionis nidore fierent, ita parabitur.


Balneum Roris.


SIt in promptu catinus Waldenburgensis, satis capax & firmus, iustæ profunditatis, qui in supremo labro intrinsecus limbum habeat, cum decliuitate colli latitudine pollicis, sub limbo catinus prominentem cannulam habere debet, longitudine quartæ partis cubiti,



quæ intus deorsum reflexa sit. Catinus iste si à figulo fingi non possit, ex cupro fabricandus erit: hunc ita paratum, cæmento murario agglutina fornaci, (cuius forma alias est exhibita) deinde huius gratia do-

dolium extruatur è ligno quercino cum fundo vndiq; perforato calami scriptorij amplitudine: Vasis istius fundus iuste quadrare debet





cum decliuitate colli in catino indicati: Inferius iuxta dolij fundũ, foramen aliud requiritur, in q; infundibulũ in curuata fistula dirigẽdũ, p q; aqua inijcienda vt catinus aqua repleatur, quo repleto sũmnũ per fistulã reflexam effluit. His factis fœnũ in Cacabo aqua feruẽte pleno bene subigatur, vt molle tenerumq; euadat: mox cape ligneũ tripoda altitudinis vnius spithamæ, quẽ collocabis in fundum dolij istius perforati: circa tripoda fœnum aqua imbutum rariori interuallo circumpo-

ne

ne & demum tripodi geminam illam cucurbitam imponas, herbis aut floribus vt dictum est refertam, ita vt superior cucurbita prorsus extra dolii supremum emineat: Cucurbita inferior in tripode reposita, vndiq; fœno circumstrata & quasi leniter intra dolium inuoluta vsq; ad summum sit: supremam vero partẽ asserculis duobus pro amplitudine cucurbitæ excisis, lapideq; oneratis, quo firmius cucurbitæ detineantur, vt fere in margine ex pictura colligi potest include. Atq; tum fornacẽ igne calefacito, vt aqua eo



vsq; calefiat, quo vix digitũ immittere possis in catinum. Necesse autem est, vt in hoc balneo Roris 4. vsitata fornacis ventilabra sint angusta, dimidiumq; tantum vnius referandũ, reliquis in fornace omnibus obturatis: neq; carbones maiores iuglandibus inijcere fornaci o-

portet: in balneo cucurbitæ per mẽ-
ſem contineantur. Et hæc quidem
optima eſt ratio fomentationis per
herbas. Quo quidem pacto etiam
balneum confici poſſet, cuius bene- *Balneum ex herbis pro ſudore.*
ficio ex ſolo vapore herbarum, ſine
aqua aut igne alio lauare & ibidem
ſudare quis poſſet. Hanc rationem
balnei Roris ſi non aſſequeris, aut
ea fabricari non poſſit, cucurbitas
collocabis in Bal. M. adhibito tamẽ
ſummo ſtudio ne aqua ipſa balnei e-
bulliat alias liquor ex herbis eliciẽ-
dus ſaporem ſubacidum contrahe-
ret. Nihilominus aquam Balnei il-
lum calorem habere oportet, quo
digitum ſine læſione aliquandiu
commode immergere poſſis In hoc
igitur calore cucurbitæ relinquan-
tur ad dies 10. aut 14. tum apertis
eximantur herbæ & includantur
alii cucurbitæ, admotoq; Alembi-
co per B. M. aqua eliciatur. Deſtil-
latum rurſum affundatur herbis
eiusdem ſpeciei, recens contuſis,
iterumq;

iterumq; cucurbitæ reddatur, & altera cucurbita super imposita, beneq; obturata, rursum Balneo Roris inferatur, vel B. M. vbi cum calore æquali per dies 9. permanserit, exemptis illis, destilla denuò per B. M. exibit aqua egregia, præstans & optima.

Aliæ rationes. Sunt etiam aliæ rationes aquarum per destillationes colligendarũ, vt per Alembicos ex plumbo albo, in arenaue, vel cinere, aut p Solem, sed hi modis indicatis multo sunt inferiores, habentes vt plurimum nidorem molestum, quæque cum fructu ad medicinam adhiberi non possunt, ideoque rectius omittuntur.

De quinta essentia extrahenda è variis herbis, quæ illarum est virtus maxima, preciosior omnibus aquis.

Extractio per aquam propriam. Herbas, aut flores in modum pultis contunde, quibus Cucur-

curbitam ad medietatẽ repleto, cui cucurbita alia aptetur, cũ sedula obstructione rimarum, ponanturq; in B. M. (præstantius esset minorisq; sumptus, si in fimo equino reponerentur) ibidem calore æquali & mediocri hæreant per mensem: exemptis destilla per alium alembicum & cucurbitam, destillatumq; denuo herbis iam arefactis affundatur, atque in primam cucurbitam regeratur, alteraque cucurbita denuò arcte alligata, rursum per octiduum in B. M. collocetur: inde iterum ablato nouæque cucurbitæ suo adaptato Alembico per B. M. aqua extrahatur: hunc recens extractum liquorem iterum herbæ recenter cõtusæ affunde, primæque cucurbitæ altera arcte imposita include, & in B. M. per 6. dies digerito, tum liquor ille crascescet & colorabitur, quem per linteum mundũ excolatum in cucurbitam immitte & aqua inde lenissimo igne separetur.

Quod in fundo cucurbitæ hæserit, id exemptum per sacculum exprimatur, sic habebis succum crassum, hunc iterum primæ cucurbitæ redde, secundaq; cucurbita super impo sita cum debita obstructione diebus 4. B. M. committe. Tandem aperta cucurbita atq; succo extracto, habebis summas vires herbæ electæ, cuius guttula vna efficacior habetur cochleari integro aquę illius herbę. Et sic descriptum est, qua ratione ex herbis aqua & succus præstans extrahatur.

Modus parandorum oleorum ex herbis, foliis floribus, seminibus atq; lignis.

Olea ex herbis. VArii sunt modi conficiendorum oleorum ex herbis ipsis. I. Per vesicam, qui modus est compendiosior. II. hoc pacto: Semen vel folia herbarum indantur vasi vitreo quod ad tertias repleatur affunde vini Maluatici optimi tantum vt dimidium vasis saltem impleatur, dimi-


midium vero illius inane relinquatur, orificio quam diligentissime obturato colloca ad radios Solis perpetuos, per 4. 6. vel 8. septimanas, tum orificio reserato, semina vel herbas cum vino in cacabum vel ollam puram infunde, quæ tepescat ad prunas, atq; inde coniecta in sacculum, exprimantur in vas aliud mundum, innatabit oleum pulchrum, quod separatum custodiatur studiose. Hic modus optimum quidem oleum exhibet, at paucum & multo minus quam per vesicam, sunt tamen talia suauiora & ad vsum accomodatiora olea.

Tertius modus est, quo pharmacopolæ cum oleo oliuarum ex omnibus herbis & floribus olea conficiunt, quod tamē oliuarū oleū postmodū permanet vt fuit ante, neque cū modis superioribus hic conferendus indignusq; est qui hoc loco describatur. Notandum tamen

ſi oleum parandum ſit primo vel ſecundo modo, ſemina ſemper prius conquaſſanda minutim eſſe, vt plus olei fundant.

Oleum ex lignis.

Elige lignum quod placeat, diuidatur vel ſerra vel lima rudiore in ſegmenta craſſiora, quibus reple cucurbitam, ſed oportet cucurbitam duplicem habere limbum




cum collo anguſtiore, prætereà in limbo ſuperiore coronam exciſam adeſſe in quam orbiculus ex argilla coctus apte includi poſſit, magnitudine orbis menſalis. Orbiculum in ſuperiore colli parte eo vſque circumagito donec firmiter ſatisfigatur

tur, ne quid ramentorum ligni, quando cucurbita iuuertetur, excidat. Ad hanc cucurbitam aliam quoq; oportet in promptu habere bene magnam, ad cuius collum ceruix alterius cucurbitæ, ramenta ligni habentis, apte & congruenter applicari possit, quam iuxta ceruicem inferiori cucurbitæ ita inuersam impone vt ex figura adiecta apparet.

Commissuras luto remisso cum sanguine taurino segmentis pannorum & fimo equino obducito eo loci vbi sibi inuicem cucurbitæ occurrunt, quam diligentissime. Id sponte exiccetur, & sicubi lutum rimas habuerit, illæ de nouo obducendæ: resiccato luto, foueam in terra constitue, eius capacitatis, vt cucurbita inferior commode insistere possit, adeo vt terra prorsus tegi possit, ne quid illius, aut commissurarum conspiciatur, sicq; terra operiatur, vt solum superior cu-



curbita extet, manuq; terra bene apprimatur, circum cucurbitam inferiorem: Tum circa cucurbitam sublimiorem, distantia dimidii cubiti, carbones admoue, quos succende, vt



circulariter paulatim incandescant, singulis vero duabus horis elapsis, carbones iam ignitos propius admoueto, donec tandem quam proximus ignis cucurbitæ fiat, ipsaq; cucurbita deniq; tota ignitis carbonibus obruatur vt tota candescat instar prunarum, inque tali caloris gradu & feruore 4. horis permaneat, tum sine vt ignis sponte extinguatur & cucurbita refrigescat. Cucurbitam inferiorem è terra rursum erue iunctu-

rarum

rarum lutum irrigatione madefacti lintei dissolue, supremam aufer & videbis in inferiori cucurbita aquam & oleum ex lignis delapsum, quod adustionem resipict. Hoc ipsum imponatur cucurbitæ alteri, supra posita etiam alia, commissuris tamen vesica bouilla, bene agglutinatis & in B. M. per mensem blando calore digeratur, quod exemptum & cucurbitæ cum Alembico infusum, totum extrahatur stillando & colligis aquam & oleum egregium, quæ si adhuc nidore infestentur empyreumatis, iterum per dies 9. in B. M. digerenda atq; demum destillatione depuranda erunt. Et hoc modo ex Iuniperino ligno, vel Rorismarini, Ciparissi vel aliorum lignorum quorumuis oleum extrahas. Et hæc destillatio dicitur facta per Descensum.

Ratio conficiendorum salium ex herbis, foliis, & lignis.

SVme ligna vel herbas, quas desi-

deras, vmbra exiccatas vel furno, post excẽptos panes, siccatas insterne foco depurato, succende & in cinerem redige: cinerem linteo inijce mundo, super vas lixiuio parando aptum, quod scilicet in fundo sit foraminulentum, subiectoq; stramine inter linteũ, infusa desuper aqua calente munda, inde fiat lixiuium clarum & defecatum, quod infusum lebeti vel ollulæ, coquatur ad ignem prunarum paulatim, vt in olla siccescat prorsus, adhærentia cultri apice abrade atq; salem illũ in marmore vel ferrea lamina in pollinem cõtritum, tabulę lapideę insperge, quę decliuiori situ, in loco subterraneo reposita, subiectaq; paropsyde ad alterutrum tabulæ angulum, in quem illa inclinat, sal in liquorẽ diffluens subiecto vase à te excipiatur. Hunc liquorem infunde peluiculæ vel patellæ, cui inserta sit particula filtri tribus aut quatuor apicibus excisi, q̃bus apicibus patellæ aliæ supponãtur,

tur, tum liquor ex peluicula illa clarus perspicuus & defecatus per filtrum guttatim excolabitur. Iam omni liquore collecto limpidum illum liquorem ex patella in tigillum mundatum transfunde, colloca ad ignem carbonarium mitiorem & ebullione lenta inspissetur, vt in eo omnia sicca appareant, tunc in tigillo reperies salē pulchrum, candidum & purum, qui reseruatus cōtinet in se vires summas & facultates herbarum.

Naturalis est balsamus, per quem herbæ & etiam homines à multis morbis, gratia diuina intercedente, præseruantur.

DE EXTRACTIONIBVS.

Ratio ex omnibus herbis, floribus, & foliis præstantissimum succum extrahendi.


SI verbi gratia constitueris ex Absinthio succum validarū virium & qualitatū extrahere, cuius ℥.1. tantundem præstet quantum integer

manipulus, in promptu ſpiritũ vini habeas neceſſe eſt, qui pclariſſime in ſequẽtem modum parandus erit.

Spiritus Vini præſtantiſſimus.

ACcipe vinum albũ generoſum aut rubrum, quo veſicæ æneæ ad dimidias ſolum repletæ, impone galeam ſeu alembicum cum fiſtulis, veſicis bubulis bene vndiq; illius cõmiſſuris obſtructis, de quo igne leniſs. duos ad ſummũ cãtharos deſtillando extrahe, quod vltra extrahitur inefficax eſt: hos duos cantharos infunde in cucurbitas binas ex vitro conflatas: Orificia horum integantur cum vinculis charta quadrupliciter inſtrata, ſiccataq;, quibus aptẽtur alembici vitrei, probe & exacte maſſa farinacea agglutinati, has in B.M. iniice, annexis vitreis vaſis pro excipulis, & quam arcte ẽt obturatis rimis, ſine exſtillare igne placidiſs. dimidium, vel ſaltem partem quartam, tumq; receptaculis ablatis, vinum illud aduſtum in vas rotundũ lon-

lõgiſſimi colli (vt initio libri deſcriptum) quod paululum ſupra tertias ſaltem replebis, vt duæ partes vacuæ maneant: Vaſi iſti, (quod phiola dicitur) imponetur alembicus aptus, diligentiſſime agglutinatus, atq; per B.M. appenſa pro recipiẽte cucurbita ſatis capace, ad collum alembici, ſed bene etiam glutine eius orificio munito, deſtilletur igne placido ſpiritus vini vel aqua vitæ: tum Cucurbita illa recipiẽte ablata, aliquid iſtius vini ſpiritus cochleari argẽteo immitte, quem cereo accenſum cõflagare ſinas: qui ſi in cochleari flamma totus abſumatur, vt cochlear relinquatur ſiccum, habebis ſpiritum vini perfectiſſimum & optimũ, quẽ bene & diligenter obturato vaſe aſſeruabis. Quod ſi poſt aliquam deflagrationem in cochleari quiddam phlegmatici liquoris ſuperſit, iterũ hunc vini ſpiritum phiolæ indas cũ alembico, de quo tribus partibus leniſſimo igne extractis, quarta in phio-



phiola relinquatur, vt ſupra quoque indicatum eſt, & hunc ſimiliter cum cochleari explorabis, qui ſi adhuc aliquid humidi relinquit, iterum, vt dictum eſt, deſtilletur, quod toties repetendum, donec experimentum bonitatis in cochleari appareat, id quod

quod etiam prima vice, si recte res curetur, fieri potest.

Exempli causa. Si primo duos cantharos vini adusti in phiolam immiseris, atq; dimidium saltē exstilletur igne leniss. in recipientem, vinū hoc exstillatum statim spiritus perfecti notas in cochleari obtinebit.

Notandum in destillatione spiritus vini per phiolā, ne cubiti distantia cum lumine accenso accedatur, periculum enim est, vt vinum istud ardens in phiola subito accēdatur & damnum maximum inferat. Quod si talem vini spirirum acquisiueris, qui per cochleare exploratus sit, habes perfectissimum spiritum, quo preciosissimas aquas vitæ dictas, ac ex omnibus herbis, florib. & aromatibus summas vires extrahere valebis, itaq; is velut res nobiliss. ac preciosiss. thesauri loco diligenter custodiendus. Etsi hoc loco possem integrum tractatum de spiritu vini optimo, de aquis vitæ, illorumque variis ratio- Cautio.

rationibus conficiendi atq; etiam alias explorationes perfectionis spiritus vini tradere, tamen id superuacuũ existimo, qui mihi proposui illud solum, quod optimum & præstãtiss. fuerit in hac arte, mihiq; cõpertum, quodq; meo marte verissimum comperi, breuiter & sufficienter hic docere. Et hæc perfectissima est ratio spiritus vini eliciendi, qui ad omnis generis extractiones est vtilissimus.

Iam igitur sume absinthium, vel aliam herbam, illam in puluerem contere crassiusculum, inde in Cucurbitam, super infunde spiritus vini perfectissimi & nobilissimi tantum, vt tribus transuersis digitis spiritus herbam superet: Vas superne bene obstructum, primum charta, deinde vesica quadruplicata madida integatur, in vase materiam bene agitato, colloceturque in loco frigidiore, agitando quotidie per mensem integrum, dum vini spiritus pro natu-

natura materiæ infusæ tingatur, his factis, vas horis 24. quiescat, lenteq; tum reserato orificio, Spiritum vini tinctum, diligenter transfunde in vas aliud vitreum cucurbitinum, summopere omnino præcauendo, ne quid turbidioris substantiæ aut alienæ immisceatur, ita vt spiritus vini iam tinctus purissi. in vas illud effundatur cucurbitam, in qua herba adhuc latet, arctissime claude, sed alteram Cucurbitam, in quam tinctura spiritus vini reposita est, Alembico tege atque in B.M. cum suo receptaculo, inde calore lenissimo spiritum vini separato, qui horæ vnius spacio vel etiam citius, vbi modo aqua Balnei incaluerit, purissimus & clarissimus per Alembicum ascendet: hunc herbæ iterum affusum, dies 9. relinquito, tunc rursum tinctura extrahatur, &c. Cucurbita ex B.M. ablata, depositoq; alẽbico reperies in fundo cucurbitę succũcõden-

densatum, mellea consistentia, quē collectum diligenter asseruandum scito, cum in illo vis sit summa herbæ. Veluti si ex Absinthio extractus succus sit, atq; confestim vinum Absinthite desideras, solum huius succi grana III. vel VI. commisce, habebis vinum Absinthites bonum.

Vinum Absinth. repentinum.

In parandis extractis herbarum, duo quam diligenter sunt annotanda I. Ne cucurbita vitrea herbarum repletione, & vini ardētis, quartam partem excedat, alias periculum est vitri rupturæ, vi spiritus vini. 2. Cum spiritus vini de succo postremo separatur, optimum est, vt paulo plus quam dimidium destilletur, verbi gratia, si spiritus vini tincti sextarius fuerit, saltem paululum supra semisextarium extrahendum, ita vt succus in fundo remanens relinquatur, consistentia tenuior, pellucidior & elegantior, multoq; sic fit suauior, quam si mellis consistentiam acquisiuisset, in vsu modico.

Quod

Quod si succum extractum herbarum forma tenuioris pulueris esse volueris, vt & diutius perduret & ad vsum circumferri possit: succum illũ extractum in catillo mũdo, igni admoue temperato è prunis, quo paulatim sic condensatus inarescat, habebis puluerem subtilis. in quo vires eædem insunt, quæ herbis. Secretum hoc est & bene obseruandum: vnicum enim granum huius pulueris tantarum est virium, quantarum manipulus integer herbarum.

Iam vbi reliquũ affusi spiritus vini tincturam quandam iterum habuerit ex herba: hunc iterum in Cucurbitam transvasa, & per B.M. destilla, habebis in fundo denuo succum extractum, probe asseruandum. Vini autem spiritum clarum, & purum post destillationem collectum, rursum herbæ affunde, agita, nouendio sepone: vbi si vinum rursum tinctũ fuerit, iterum illud in Cucurbita destillare sinas, huncq; laborem trans-

fundendi & destillandi toties repetes, donec vinum ardens ex herbis non amplius tingatur, sed clarum & perspicuum maneat. Et sic habes destillatum vinum absinthiæ, atque succum, vel puluerem, &c. quo summæ reconduntur vires.

NOTA.

Præparatio herbarum per extractionem.

Herbæ, ex quibus extrahenda est omnis illarum vis & facultas ad dictum modum, illæ in vmbra vel aëre exsiccatæ esse debent, alias humiditatis redundantia, quæ inter extrahendum instar aquę in fundo cucurbitarum subsidit, extracti vires multum imminueret: idem contingeret, si Spiritus vini in cochleari argenteo positus, non totus deflagraret, sed phlegma post se relinqueret, quod ipsum & aliquem prauum saporem conciliaret & viribus obesset. Itaque duo maxime consideran-

randa ſunt, vbi vim extractorum integram & ſuauem ex herbis obtinere cupis, 1. vt herbæ in vmbra prius ſint exſiccatæ, deinde in puluerem redactæ. 2. vt vini ſpiritus probe ſit exploratus & perfectus, ſine phlegmate reſiduo, alius perfecta & ſuauis virium extractio nulla fieret.

Et hic modus vnus eſt veriſs. & præſtantiſs. quo aquæ vitæ comparari queant. Alii omnes ſunt falſi: alias enim vbi aquæ vitæ communiter parantur, pars præclarior abiicitur & ignobilior retinetur: Veluti quando variæ herbæ & aromata in puluerem cõtunduntur, affunditur Spiritus vini per dies & hebdomadas aliquot, poſtea ſimul omnia per B. M. exſtillãtur, creditur aqua vitæ precioſa extracta fuiſſe, herbæ autẽ quæ in fundo cucurbitæ ſuperſunt, abiiciuntur. Simile videtur prorſus, ac ſi gemmæ vel nuclei amygdalarum proiicientur, aſſeruatis illorum loco teſtis, vel ſilicibus.

Prudens vero qui herbarum vires proprietatesq; perspectas habet, facile æstimabit omnibus herbis & aromatis terream esse substantiam, vino vero ardenti spirituosam: at vino ardenti non est tam sublimis facultas, vt terreum statim in suam naturam conuertere possit & spirituosum reddere. Hoc enim ipso si præditum esset vinum ardens, statim omnem virtutem herbarum secum in receptaculum per Alembicum efferret, herbæ vero, quæ in fundo relictæ sunt, omni qualitate saporis & odoris prorsus destitutæ essent, quorum nullum omnino obseruatur: Vinum enim illud adustum, educitur ab herbis clarum purumq; parum & exile quiddam de herbarum qualitate redolens, ipsæ autem herbæ in fundo residuæ vires suas & odorem retinēt, nisi quod inter destillationem in B. M. adurantur & vstionem sæpe resipiant. Quapropter communis illa ratio conficienda-

darum aquarum vitæ, nullius est valoris. Vt autem vere & fundamētaliter instructus sis in ratione perficiēdarum aquarum vitæ perfectissimarum, ideo hoc iam loco plene artificium illud & apparatum omnem diligentissime declarabo, vnde tuo marte iudicare poteris, hanc solam aquas vitæ parandi rationem & pręcipuam & perfectissimam esse.

Aqua vitæ egregia Friderici III. Romanorum Imperatoris, qua vitam suam Deo benedicente diu sustentauit, siquidem imperio Romanis præfuit 54 factus decrepitus.

℞. Cinam. optim. ℥. 3. Caryoph. optimorum ℥. 1. Zinzi. ℥. x. Nuc. mosch. ℥. 5. Zedoar. ℥. 1. ʒ. 6. Cardomomi ma. ʒ. 6. Galangæ. ʒ. 2. Cubeb. ʒ. 4. Rorismar. Hyssopi Althęę an. ℥. 5. Caryophillatę rad. ℥. 1. Saluię ℥ 1. Florum Lauend. ℥. 5. Omnib. cōtusis simul, additoq; Sacchar. Cand.

℥.3.passul. min. ℔. 1. Maior. Caricarum an.℥.3. Camphoræ.ʒ.1.Rosʃ. rub. Flor, Borrag. Buglosʃ. fol. Endiuiæ ana.℥.3. Omnia in puluerem redigantur, imponantur cucurbitæ bene capaci, superfundatur Spiritus vini explorati tantum, quo ille emineat tres digitos rebus omnibus: Summitatem probe obturando, omnia inuicem tamen agitentur & commisceantur, frigidoque loco reponantur, idque quotidie semel fiat, diebus 10, continuis: quibus transactis effundatur Spiritus vini clarus, sed iam tinctus, in vas aliud cucurbitæ, cui addetur conueniens Alembicus, stilletque aquam vitæ igne lenissimo, tum succũ preciosum herbarum in fundo cucurbitæ habebis, quem diligenter asserua: sed vini Spiritum seu aquam vitæ destillatione collectam, iterum speciebus prædictis affunde, poteris de hoc Spiritu vini parum reseruare & cucur-

curbitam probe munitam iterum dies 9. sic seponito quo vsque tingatur, Spiritus, tum effunde denuo, iterumque exstillet vt ante, hunc laborem ter repetes : tandem de speciebus omnem Spiritum vini exime, vbi etiamnum aliquid Spiritus vini tincti asseruare debes, aromata vero & species, quæ in cucurbita supersunt, sole exsiccétur vel vmbra. Demum coquatur in tigillo mellis dimidium eius ponderis quod est pulueris, despumatoque melle, puluis is inspergatur & misceatur, refrigeratum fit electuarium seorsim conseruandum.

Et hoc modo de aquis vitæ habes quadruplicem fructum. 1. Aquam vitæ puram & preciosam. 2. Extractum succum. 3. Aquam vitę tinctã. 4. Electuarium. Ex his pro vsibus internis, efficacissimum est extractũ cũ aqua Borraginis, 2. Aqua vitę tincta, cuius vsus esse potest, in morbis frigidis, ieiunis quotidie aliquid

porrigẽdo.3. Aqua vitæ clara, instar aquæ cordialis etiam pro arteriis & corde extrinsecus irrigandis.4. Electuarium pro coroboratione ventriculi,cordis,iecoris. Vnum maxime hic aduertendum est, vt igne lenissimo in B. M. aqua vitæ extrahatur,ita vt aqua Balnei eum gradum caloris habeat, vt immissus digitus sine dolore in illa detineri possit: Si enim plus incalesceret,succus prorsus torreretur & in puluerem verteretur atque etiam combureretur, quod cum damno coniunctum foret.

Aqua vitæ, qua Marcus Gallus, Chyrurgus Imperatoris Caroli crebro vtebatur,& vitam protraxit ad annos 124. vsus illius est ad conseruationem virium totius corporis.

℞.Cubeb.Cin.Galangæ, Caryo. Nuc.mosch. Zinzi. an.ʒ.5 Saluię ℥.2.f.ex his puluis affũdatur spiritus vini

vini optimus, & occlusa ferueutur diebus 9. post per inclinationem effundatur ac destilletur, vt supra dictum & sic etiam habere poteris Aquam vitæ, spiritum vini tinctum, & electuarium.

Aqua Corroborans.

ESt & alius modus extractionum virtutum herbarum, vt minus calidæ & acres sint qualitates, quam si per spiritũ vini extractæ fuissent, quod præstandum vino solo integerrimo sic paratur. *Per Infusionem.*

℞. Cinam. Caryoph. Nuc. mosch. ana. ℥. 1. bac. Lauri ℥. 5. Ros. rub. Flor. Ment. aq. Betonicæ, Maioranæ, Pilosellæ singulorũ m. 1. Moschi & Ambræ cuiusq; horum grana 6. fiat puluis crassiusculus & coniectus in bociam vitream, super infundantur canthari 2. vini Maluat. vel Rhen. optimi cum diligenti coopertura, atq; sic in Sole per mensem quiescant, tum facta collatura, asser-

uetur aqua, & vtere in syncope, pro aspersione & odore, appliceturq; cō linteis quadruplicatis madefactis cordi & arteriis.

Aqua confortans, quæ omne venenum à corde abigit, cor frigidum & languidum reficit.

Ad hanc aquam vires ex herbis, cum aquis simpliciter solum destillatis extrahuntur, hoc modo.

℞. Corall. rub. Nuc. mosch. Cariophyll. ana ℥. ß. Croci ℈r. 12. Camphoræ ℈r. 9. Santali rub. ℥. 3. ex his fiat puluis, iniice vasi vitreo, affusa Aqua Rosarū & Borrag. an. ℔. 1. cum debita obturatione, collocetur ad solis radios, per septimanas 3. & asseruetur, cum vsus exigit, lintea hac imbuta quadruplicata, cordi apprimantur, quibus exsiccatis, irrigentur denuno: exhaurit venenum à corde & recreat cor æstuans.

Tan-

Tandem pro extrahendo ex herbis, radicibus ac aromatis vires insitas, ratio paratu facilima est, cum aqua propria: ita enim succus herbarum longe fit suauior ac temperatior quam præcedentes.

℞. Aquam petroselini q. v. affunde herbæ petroselini, obstructo vitro, digeratur in Sole per dies 10. tunc per linteum mundum prematur totum: quod in linteo superest, id abiiciendum: Affunde aquam expressam nouæ herbæ petroselini, prius concisæ & vt prius in Sole asseruetur, per dies 10. vel etiam 14. rursumq; vt antea simul exprimantur & rursus nouæ herbæ super infundantur, & diebus 14. in Sole digerantur, tertioque iterum exprimatur succus, expressum patellæ mundatæ impone, cui adde particulam filtri madefacti, atque sic per filtrum paulatim in subiectum aliquod vas excolatur: quod in patella relinquitur, abiice, & illa mun-

mundata, quod destillatum est per filtrum, huic redde patellæ, filtrumque iam bene lotum iterum imponas, atque sic secundo per filtrum exstillet in suppositum vas, tum demum hanc aquam indes cucurbitæ cum Alembico & per B. M. destillabis in recipientem: sic in fundo cucurbitæ & remanebit succus præstantissimus petroselini cuius gutta vna æquat m. 1. herbæ petroselini.

Purgantia extincta. Atq; hoc pacto ex omnibus herbis vires illarum colliges: Imo ex omnibus potionibus purgantibus, succis, electuariis pilulis, vim extrahes, vt e.g. si in capitis affectu caput purgandum sit pilular. ℥1. quas tamen æger assumere non posset: cape pilulas istas & cum spiritu vini contritas (vbi intensiores vires requiris) vel cum aqua Roris marini vel anisi, in ampullam vitream coniice vbi ad ℥1. pilularũ, requiruntur aquæ cochlearia 9. si spiritum vini

ni affunderis, triduo ſtet in frigido loco ſin aquam, horis 24. in vaſe exacte clauſo. Exẽptis igitur illis & in conchã impoſitis mundiorẽ, relinquantur ibidẽ per horam, & tum filtrum mundum colentur, id quod colatum eſt, per cucurbitam cum ſuo Alembico ſtillet, & in fundo cucurbitæ habebis ſuccum extractum exigua mole, quem ægro propinabis cum aqua aniſata ſaccharata. Quod ſi ne ſic quidem aſſumere poſſet, ſuccum in tigillo mundato, ad ignem leniſſ. è prunis inſpiſſa, ad formam pulueris, & ſic ex ℥ı. pilu. habebis vix gran.x. pulueris qui coniectus in nebulam farinaceam humectatam & conuolutam, quantitas erit inſtar piſi dimidiati, quam æger deglutiat, atq; id tantarum erit virium, quantarum ℥.ı. pilularum. Vnde facile æſtimari poteſt artificii præſtantia, dum quis purgari poſſit mole tam exigua, quicquid enim in pilulis eſt craſſum & corpulentum, id

id hoc modo adimitur; ita vt æger solum hauriat id, quod est nobilissimum, purissimũ & efficacissimum, pro vt se res ipsa satis commendat. Quod si vero spiritus vini cochlearia 7. affuderis, tum bene agitando commisce, sic pilulæ dissoluentur & vinum tingent, quod tribus diebus diligenter communitum loco frigidiore sit sepositum, mox totum vinum tinctum in cucurbitam aliam lente transferes crassamentis in fundo subsistentibus abiectis, atq; cum suo Alembico firmiter cohærente in B. M. igni placido spiritum vini separa, sic in fundo Cucurbitæ habebis extractũ pilularum succum, quem vt indicatum est, ad vsum medicum adhibebis.

Atq; hoc est arcanum præstantissimum præcipuumq; artificium, vbi alias ex officinis aliquot vnciæ vel libra dimidia vtrumq; congesta & confusa exhaurienda offerretur, tibi hoc pacto per succum extractum, vel puluerem extracti, pisi quantitate

te & magnitudine idẽ exhiberi potest aquæ efficacis & subtilis operationis, ac si magna corpuleta moles præter hunc modum præparata exhibita fuisset. Atq; vt hoc secretum artificium eo facilius intelligas, id exemplo Hellebori nigri tibi declarabo, cuius insignem facultatem & virtutem, Medicorum nullus sufficienter indagare & considerare potest, multo minus recte docere: huius enim solius radicis beneficio, præcipui totius corporis humani morbi, diuina astruente gratia, curãtur, vt Apoplexia, Epilepsia, Hydrops, Arthritis, & catarrhi contumaces &c.

Extractum Hellebori.

Elige igitur tibi folia à radice ante solis ortum auulsa, quæ in loco vmbroso, vẽto oriẽtali exposito siccẽtur, cõterãtur in puluerẽ tenuissimũ, cui tantũdẽ sacha. albi iuxta põdus foliorũ admisce, reseruentur in pyxide, vires & facultates tales sunt vt si quotidie à ieiunis, horis 2. ante cibum, pulueris tantum assuma-

tur, quantum duabus cultrorum extremitatibus comprehenditur, consumantur omnes in corpore catarrhi, humoresque putridi & corrupti, ex quibus morbi grauissimi oriuntur, cum deiectionibus alui 3. aut 4. sine omni molestia, sanitatem hominis, ad summam perfectionem vsq; deducat, & in eodem statu conseruet. Nam qui foliorum puluere quotidie vtitur, non metuet Apoplexiam, Epilepsiam, Hydropem, Arthritidem, imo si quis prædictis morbis obnoxius esset, illi beneficio pulueris curabuntur & abigentur. Non possum satis mirari & prædicare virtutes ac dotes egregias quas Altissimus & misericors DEVS, herbæ tam vulgaribus foliis tribuit: ipsa sese commendat effectu: Tam præclarum remedium in nullo reperitur pharmacopolio, paucisque cognitum est, ideo tanquam thesaurus preciosus custodiendus, Deo ob id agendæ gratiæ & proximo suo inseruiendum.

Vires

Vires radicis Hellebori nigri.

RAdicem bene lotam ab omni ſpurcitie, minutim cõcide, & in catinum maiorem coniice, infuſa aqua Aniſi ſtillatitia (per Veſicam facta) vt 4. digitis emineat, quo ad prunas admoto, mediocriter fiat ebullitio, ſpumam ſemper reiiciendo: Cum iam aliquandiu ebullierit aqua prædicta, illa per inclinationem lente in patinam vel ollam mundatam immittatur: affunde recentem aliam aquam Aniſi, quæ deſpumetur & bulliat vt ante, quam adde aquæ antea etiam decoctæ: Omnia vero iſta toties repetenda ſunt quoties adhuc aliquid ſaporis amarorisque ex radice elicitur: tum deſiſte & radices abiice, aquam vero decoctam omnem transfer in patinam quandam maiorem, cui iniecta filtri madidi portione, per illam paulatim colato, hincq; materiam illam transfunde in catinum, tan-

tisper percoq;, donec crassescere incipiat: mox insperge mastici pulverisati ℥. 1. continue agitato, ne aduratur, vbi vero consistentiam mellis habuerit, benè est, tum ab igne catinus deponendus: cuius consistentiæ bonitas exploratur immissa gutta in ferream laminam vel stanneam, vbi si mellis crassities fuerit recte habet, refrigerata diligẽter custodienda. Qui prædictis morbis infestatur, huic succi modo extracti exhibeatur in nebula, quantitas dimidiati pisi (si debilior sit æger) deglutienda, horis 4. ante cibum, vbi si redundantia fuerit humorum corruptorũ, vomitus habebit duos tresue, deiectiones fere quinq; post triduũ repetat tantundem, plus minusue, vt vires exigunt, donec conualescat. Prodest succus iste omnibus morbis enarratis, maxime autem purificat sanguinẽ melancholicum, vtilissimus illis, q Melancholia affecti sunt, qbus mentẽ restituit: durat aliquot annis incorruptus,

ideo diligenter aſſeruandus. Et ſecundum modum iam præſcriptum, ex omnib⁹ herbis & radicib⁹ ſuccus extrahi poterit. Ne autem præſtantiã huius radicis ignores, tradã quo pacto quinta illius eſſentia q̃ lõge eſt p̃clarior & excellentior educẽda ſit.

Quinta eſſentia Hellebori nigri &c.

℞ rad. Hellebori nigri ℔. 2. laueῆtur vino & in mortario contundantur, imponantur cucurbitæ infuſa vini menſ. 1. impoſitoq; Alembico, detineatur in Balneo Mariç feruente per diem 1. deſtillatũ reſerua: reſiduum coletur per linteũ mundũ & exprimatur valide: expreſſum cucurbitæ redde, additis Caryophil. roſ. rub. ℥. ß. quibus minutim cõtritis digerantur loco calido per diem & noctem, adde ſpiritus vini ſextarium dimidium, huic cucurbitæ inſeratur cum collo alia, atq; facta diligenti obturatione, repone in B. M. per triduum apertis cucurbitis contentũ p linteũ mundũ exprimatur ac reſeruetur. Deinde ℞.

iterum ℔ 2. rad. Hellebor. vino lotarum & contritarum: ijsdemque collocatis in cucurbitam & affusa vini rubri optimi mensu. 1. cum suo Alembico per B. M. exstillet liquoris quantum potest, destillarũ hoc affunde destillato primo, primum reseruato, ita vt iam duas istas aquas simul asserues, cucurbitam è B. M. exime, quodq; in fundo illius inueneris, id Bociæ Waldenburgicæ retortæ trade, hanc colloca in catinum cum arena ad ignem vna cum suo receptaculo, primum subiecto igne tẽperatiore, post validiore: ita vt catinus cum Retorta simul incãdescant prorsus, atq; dum desiste vt sponte refrigescant, retorta confracta, reperies cinerẽ, quem coniectũ in linteum supra stramen & vas idoneum pro lixiuio recipiendo, destillatum supra asseruatũ, infunde desuper, vt more vsitato lixiuiumpercoletur: lixiuium hoc in catillo ad ignem prunarum coq; paulatim, in fundo salem habebis, quam optime

cu-

custodiendum, succũ vero superius collectum & reseruatũ transfunde in cucurbitam, quã teges suo alembico, ac in B. M. destillabis igne lenissimo spiritum illum vini, ex quo habes quintam essentiã Rad. Hell. nigri eamq; quam diligẽtissime cõserua, tanq̃ rem preciosam. Quod in fundo cucurbitæ remanet, etiam catillo coquatur ad melleam consistentiam, & hunc succum vsurpabis vt supra expositum est. Vsus vero quintæ essentiæ Rad. Helleb. nig. talis est. ℞. vnicam quintæ Ess. Hell. nig. cui admisce huius salis modo præparati gran. 12. hoc singulis mensibus semel exhibeatur ante somnum, idq; singulis mensibus semel faciendum, ad annum vsq; ætatis 60. Sed post annos 60. ad 100. oportet singulis diebus 14. ℥.2. in q.bus gran. 6. salis præparati soluta sineassumere noctu. Hæc Medicina secundũ præscriptum exhibita, præseruat ab omnibus morbis, conseruat habitum totius, dẽtes defendit,

& anhelitũ gratiorem facit, omnia oculorum mala abigit, & catarrhos periculosos præcauet, apoplexiam epilepsiã, arthritim, hydropẽ exsiccat, debilitates capitis omnes emẽdat vt & pulmonis, cordis, iecoris, vẽtriculi, renũ & vesicæ: mundificat sanguinem neruos & medullas ossium corroborat, corpusq; hominis custodit ab omnibus humoribus cor ruptis fœtẽtibus & venenosis, ab inflãmatione tuetur omni, liberat hominẽ ab omnibus morbis & vlceribus. Deo soli, ꝓ dono huius medicamẽti, sit honor & gloria. Et sic iuxta indicatũ modũ ex omnib9 herbis, floribus ac radicibus succũ extrahas nobilissimũ. Quia autẽ tales succi extracti, plerunq; inse uiũt vel ad confortationes hominũ, vel ad expurgationes, addam & aliũ ex Rhabarbaro modum. *Extractum è Rhabarbaro.*

℞. Folia Bugloss. Borrag. ana m. 4. quæ in mortario contrita exprimãtur in succũ, qui in patinã repositus cum filtro, ad puritatẽ sponte exco-

letur, huius depurati succi forte ℔.ß adde Rhabarbari ℥. 2. bene concisi in aliqua cucurbita (si succus haberi nõ possit, sumantur aquæ illorũ ad ℔.ß.) cui alia etiã imposita sit, & cũ vesica madida, rimæ illius obstructæ, in B. M. per diẽ ac noctẽ ferueãt cõtinue bulliẽdo: refrigeratis omnibus & reseratis vasis succũ p linteolũ valide exprime, qđ in colamine remanet, vmbra siccetur in puluerẽ, id egregie ꝓdest ad dyssenteriã: Expressum vero cũ sacharo cãdido pmisceбis & coques in catino ad mellis substantiam. Huius succi extracti datur ʒ.ß, mane horis 3. ante cibũ omnem suauiter & facile purgat sine molestia, vt etiam pueris sine periculo exhibere liceat, viresq; conseruentur ad plures annos.

Sequũtur descriptiones præcipuarũ aquarum & oleorum ex herbis illorumq; effectus, vires & vsus.

Rorismarini aqua & oleum.

AQua huius elicitur quibuscunq; modis libuerit: hausta cochlea-

ria bina quotidie,cor dilatant,cerebrum roborant, deliquia vincunt calefaciũt ventriculum,mouent appetitum cibi, ſanguinem emundãt. Eadem aqua venenis omnibus reſiſtit,gingiuarum corruptionem prohibet & dentium vermes arcet, collutione facta quotidie de mane. Obſtructa aperit iecinoris & pulmonis, ſuauem anhelitum & faciei colorẽ gratũ efficit,recreat cor & ipſas medullas. Imprimis opẽ fert phthiſicis mũdificat vterũ,& loco cõtinet, ad cõcipiendũ diſponit, omnia vaſa & neruos confortat. Pro apoplecticis & loquela deſtitutis,huic aquę parũ addatur Caſtorei,de quo bibat quotidie cochlear. 4. reſtituetur ſermo & neruis diſtortis directio. Si caput hac aqua abluatur & ſpõte ſiccescat, cerebro robur addit ac memoriæ firmitatẽ: capillos retineri facit, & caput mũdat à ſordibus catarrhos tollit. Eadem aqua ſanat fiſtuloſa vlcera & cancrum, ſtupida membra reducit ad ſenſum. Balneum ex a-

qua vel herba concinnatum totum restituit hominem, omniaque consolidat vlcera cacoethea, virulenta, infecta ex ædibus pellit si suffitus fiat.

Puluis præstantissimus qui dealbat & roberat dentes ac gingiuas corruptas, præcauet vermes dentium.

R. Foliorum Rorismarini ℥.ß. exiccentur & in puluerem redigantur, panis albi in puluerem combust: ʒ.2. coral. rub. ʒ.j. Alabastri ʒ.ß. m. & fiat puluis ad vsum, quo cum quotidie fricabis dentes, ac collues os cum aqua Rorismari. breui videbis admirandam efficaciam: Puluis omnium est nobilissimus & præstantissimus ad dentes, caueas autem rodentia & sales, ne dentibus adhibeantur, etsi enim breui dentes albos reddant, vt est oleum Tartari, sulph. vitrioli & quando semel tantum affricantur, tamē dentes adeo fricabiles & rari fiunt, vt particulatim excidant. In febribus vngaricis, vbi æ-

grotantes delirio vel phrenesi comprehenduntur, æger assidue de aqua Rorismar. bibat, mens restituetur, quod ipse expertus loquor, ventris etiam tineas omnes enecat.

Oleum Rorismarini.

Huic insunt vires aqua longe excellentiores, guttula enim olei præstat 2. cochlearibus aquæ : Atque à philosophis oleum hoc rectissime vero Balsamo æquiparatur, quod omnia consolidat vulnera virulenta & vlcera admirandum in modum. Et quia huius herbæ tanta vbiq; copia haberi non potest, vt simul aqua & oleum inde paretur : igitur facile hoc pacto colligi possunt, nimirum vbi frutices coluntur, ibi folia decidua humi legenda sunt, ex quibus per vesicam oleum & aqua destillanda : Fit etiam vinum Rorismarini, quod omnibus præfertur vinis, toto orbe artificialibus, bonitate, virtute

ac

ac facultate illius, quod omnes docti medici non satis extollere possunt.

Aqua Menthæ Crispæ.

Fit hinc aqua & oleum, multis morbis vtile. Sed oportet herbam Maio vel Iunio mense, ante Solis ortum collectam esse, deinde ad aërem, loco vmbroso exsiccari & destillationi accommodari. Aqua calida est, consumens catarrhos frigidos, aperiens iecoris lienis, renumq; obstructiones, si mane & vesperi bibatur cochl. 3. absumit pituitã ventriculi & calefacit, cibi appetentiam excitat, & vomitum reprimit: rupta interiora sanat, faciei colorem commendat & anhelituum, vterumq; emundat linteis etiam madidis ad regionem illius impositis quadruplicatis, calefacit ipsum refrigeratum & aperit. Mammis imposita, lac concretũ dissoluit. Herba inter omnes maxime est ventriculo grata

grata, quẽ calefacit ac reficit, vomitus reprimit, etiam simpliciter exhibita. Vt ventriculum debilem restituas & coctionem illius iuues, accipe panis fragmentum palmæ magnitudine, quem irrigatum vino ardente & conspersum puluere sicco menthæ, calideq; admodum calefacere breui videbis, vel includatur mentha sicca sacculo, & incoquatur vino rubro paulisper, ac calide ventriculo imponatur, vinumq; bibat, idem præstabit.

Oleum menthæ destillatum.

PVlcherrimum est & nobilisſ. ventriculo oleum dicatum, à DEO tanquam remedium vnicum ob id collatum: Colicæ enim dolorem quamprimum sedat, ob cuius sæuitiam multos mori contingit, quælibet illius gutta, ob efficaciam, thalero etiam redimenda. Qui Colica grauiter decumbit ℞. cochlearia 2. vel

3. vi-

ʒ vini. Cui guttas 6. vel 7. olei menthæ inſtilles, & miſtum calide exhibeto, ſuccurrit quamprimum, experimento ſæpe manifeſtato: Aſſumptum enim oleum atq; admotum, ventriculum debilem & frigidum potenter alterat & fovet, vomitus arcet, excitat appetentiam cibi & coctionem iuuat.

Aqua maioranæ.

Omni diluculo ſumpta ad cochlearia ʒ. vertiginem tollit & cerebri fluxiones frigidas, ſanguinem crudum emendat, repletionem pectoris, dolores cardiacos, tumores & exulcerationes ſplenis curat, virulentas infectiones intus exortas corrigit, dolores à calculo mitigat, vrinaſq; promouet, ciet menſtrua & lotium conciliat, concretum ſanguinem diſſoluit, obſtructa pulmonum & iecinoris aperit & recreat, ſanguinem purificat, robur addit cerebro in-

intellectus domicilio, & cordi, dolores omnes capitis compescit & epilepticos insultus, qui putredinem sentit pulmonum & iecoris (viscerum) restituitur beneficio aquæ huius. Vires eædem insunt etiam herbæ, si puluis illius in cibo frequenter assumatur, aquam exequat. Contractos & distortos artus si laues sæpius aqua, reparabis integritatem, & ab iisdem vitiis præseruabis.

Olum Maioranæ.

CONfert animorũ deliquio, vertigini, assumptis guttis aliquot & admotis narium cavis, ventriculũ validum reddit. febrem pellit, & torsiones ventris, muliebres fluxus cõcitat tai datos, & partum faciliorem efficit, etiam ab apoplexia immunes præstat vtẽtes, & à veneno aëris: obstructa etiam reserat pulmonum & iecoris, loquelæ defectum reparat, sanguinem mundificat & cor ad hilaritatem excitat.

Aqua

Aqua Lilii Conuallii.

OPtima hæc est aqua pro collutione oris ad linguæ ariditatẽ, vel anginã sola facta gargarizatione, omnẽ oris tollit exulcerationẽ & palati denigrationes à calore exurẽte præseruat à corruptione interanea, cõcretũ sanguinẽ dissoluit, vlcerationes internas curat, ex quib. punctiones fiunt: mentis functiones vegetat cordis & oculorũ, respirationem facilem, somnum suauem, aspectum gratum efficit.

Oleum eiusdem.

Prodest oleũ ceruici, si affricatur vel tẽporib. vel arterijs ad apoplexiã cordis tremorẽ, & syncopen, à contractione & distorsione articulorũ defendit epilepsiæ creditur esse prophylacticon & morborũ acutorũ maximũ vero est apoplecticũ & epilepticũ remediũ pseruatoriũ, vt & anginę nothę quẽadmodũ ante expositũ est.

Aqua Buglossæ.

Pota confert erysipelati, aposto-

matibus internis, pesti, intestinorũ morbis, renũq; calculo & sabulo, facit vrinæ copiam, febrifuga est, menstua purgat, quæ procurat & corrigit, partus facilitatem præstat. Exhausta aqua in balneo, sudorifica est cordialis est maxime, si aquę ℥ I. ß. addas margaritarum & coral. rub. an. ʒ. ß. eãq; exhibeas palpitatione cordis laboranti, opitulatur præclare, vt & Syncopticis, cerebri functiones excitat & erigit, memoriam adiuuat, capiti imposita per lintea madida, dolores tollit punctorios, si ex floribus buglossæ solis stillatitia aqua paratur, expertum remedium traditur oculorũ suffusionib. crassis, guttula iniecta: diei principio & fine lotio huius exterget serpigines maculas & liuores. Colligenda est herba ante Solis exortum, existente in I. gradu virginis, destillanda vero cum 15. gradum assequitur virginis Sol.

Oleum

Oleum Buglossæ.

CEruix & cordis regio perun&ta, memoriæ tenacitati inſeruit, cor exhilarat, phreneticis & Melancholicis adiumento eſt, precioſum ad aurium ſonitum, ſomnumq; placidum conciliat. Folia in vmbra exiccare oportet & in puluerem redigere, ſi ægroto in nares inſpirentur, vt verſus cerebrum attrahat, vtiliſſ. in doloribus capitis luis vngaricæ, vermes enectos per nares pellit. Pulueris huius ℥.1. in iure piſorum ſumpta aluum leniter ſubducit. Vtile eſt ad puncturas, ad vomitum vel nauſeam, ventriculo etiam robur dat & ſanguinem facit meliorem.

Aqua precioſa ad ſcabiem & cutis fæditatem.

RAdicem huius Buglоſſę quæ flaueſcit primo vere ex hortis erue ablue, corticem externum adime, F reie-

reiecto meditullitio ligneo interno, concisam in mortario contere, vt pultis formam assequatur, atq; per pannum validum validissime exprime, quoad licuerit, ita vt sextarium colligas succi, residuum in panno abiiciendum, quia inutile.

Huius succi sextario adde aquæ Ros. cochlear. 9. salis comm. ℥. 2. aceti cochle. 7. ouorum n. 4. quæ bene concussa asseruentur. Qui psora scabie vel lepræ specie affectus videtur, vel maculis flauis in corpore, is prius per triduum mane & sero lauetur lacte caprino, postea vero in sudatorium descendat, atque cum aqua præparata in patina cum linteo reposita, optime se lauet & sudet, tum vehementer sudor prouocabitur, atque sanguinis mundificatio fiet: post largum sudorem, abluatur aqua pura. & antequam è balneo egrediatur, repetat illam cum aqua præparata irrigationem & lotioné, & parum insudet, tandem aqua pu-

ra se abluens exeat, si leuis fuerit scabies, sanatur, quod si maligna fuerit scabies & corticibus arborum assimulari possit, oportet ipsum sæpiuscule lauare, singulis ternis diebus, secũdum modum iam pręscriptum, donec conualescat. Sed in tali scabie maligna & psora, prius vena est secanda ad emissionem ℥. 6. sanguinis, postea leniter expurgandus æger, atque sic balneo vtatur, curatio eo erit promptior. Aquæ huius periculum fieri potest in pueris sine damno inter sudandum enim omnis è corpore extrahitur sanguinis impuritas. Conseruatur talis aqua in annum incorrupta.

Aqua Borraginis.

Cordi quoque est appropriata, quod lætificat & corroborat, abigit imaginationes prauas, memoriam & mentem acuit, phreneticis, melan-

cholicis, infectis & venenatis vtilis, omnes è corpore pellit humores prauos. Conditi flores Buglos. & Borrag. cor recreant, colicam & iliacam auferunt, pueris etiam ventris torminibus afflictis, vmbilico illito succurrit, resistit lui venereæ & Elephantiasi.

Aqua violarum hortensium.

AQua ex floribus cum foliis destillata, pulmones & pectus dilatat hausta, respirationem expeditam, & pulmones à tabe immunes facit: Iecori etiam obstructo confert aëri virulento & maximis quibusvis morbis adhibetur, reficit enim & refrigerat pulmonis & iecoris tonum conseruat vegetum, sanguinem clarificat.

Aqua Hyperici.

Aqua huius stillatitia pro ablutio-

tione capitis adhibita, lentes, furfures & pediculos detergit, cerebrum confortat, vt & memoriam & visum, vertiginem amouet, egregium apoplecticis pota remediũ, singulis diluculis haustum cochlear, vini potationes illo die innoxias facit, calida ore detenta dentium dolores mitigat, gargarisatu vlcera gallica oris & faucium ad sanitatem perducit. Anginis prodest seu inflammationi faucium, eodem pacto omnia corporis interna vlcera virulenta compescit, tussim etiam & animi defectum, vires deperditas hominis reparat, si confricetur ista nares, labia, arteriæ, dolori etiam stomachico, pulmonariis & iecorariis est salutaris, febri fuga est pro ictericis facit, vermib. etiam resistit. Flores conquassati & impositi tumorib. auxiliantur Anginæ, nephritidi, doloribus propter matricem. Flosculi iidem per æstatẽ, Sole in cancro versante vino maluatico macerati, quo ipso illita ceruix

uix phrenetici aut maniaci, & qui à cacodęmone vexatur, mox adiumẽto est herba solum suspensa, neq; insecta neq; lemures in cubili vagari sinit.

Mirabile.

Herba caseo apposita, facit vt nullis infestetur vermiculis, eodem modo & carnes defendit.

Oleum Hyperici.

℞. Ampullulam ad dimidias olei Terebinthinæ candido repletam, æstate flosculis huius herbæ, antequam pateant expleas, obturatam soli committe septimanis ʒ. atq; tum exprime per pannum mundissimum violenter, seorsim reserua, adde flores nouos, iterumque digerantur 3. septim. vel dieb. 14. excolatum & valide expressum, custodi, oleum erit rubicundum, instar Rubini, quod vulnera & puncturas breuissime consolidat, doloresque illorum miti-

tigat, ambusta etiam persanat, dolorem scapularum sedat & vesicæ, promouet vrinam, toti etiam ventriculo inunctum prodest pestilēti febri affectis vtilissimum, neruis sauciatis & conquassatis amicum, calide impositum, dolores omnes sedat, qui vulneratur pauxillum vulneri instillet & obliget, tertio demum vel 4 die deponat. sine dolore consolidatū videbit. Quod hoc oleo ad sanitatem perducitur, cicatrices vel maculas nōn relinquit, vlceribus & tumoribus varie prodest.

Aqua Charefolii.

Ex foliis deprompta aqua, prodest in statu pestilenti, spongiis ea imbutis & naribus obiectis, ab aëre pestilenti tuetur, mane & sero pota pulmonariis cōfert, interna apostemata ad maturitatē perducit, in pulmonib. & iecore phtisicis cōmoda oculi hoc loci calore & rubedine exuuntur: hæmorrhoidas, condylo-

mata.& excreſcentias pudendorum emendat: ſi partes obſeſſę illa eluantur, vt & vulnera alia maligna, mitigatorium eſt remedium & concoctorium.

Oleum Chærefolii.

Fit ex ſemine, gangrænis eſt ſalutare, catarrhis frigidis capitis & contracturæ confert irrigatis partibus.

Sacculus contra dolores punctorios laterum.

℞. Folia Chærefolii, Altheæ, Abſinthii Flo. chamomillæ maluarum Roſa. rub. ana M. j. craſſiꝰ iſta omnia concidantur, adde ſeminis Lini ℥. 1. ß. mellis cochlear. 3. ꝑmiſtis indãtur ſacculo palmari, cũ interſtitiis acu factis, vt omnia eandem habeant æqualitatem, imponatur ollæ, atq; in lacte caprino ebulliat, quẽ tam calide vt perferre innoxie poſſit lateri admoue, refrigeratus permutetur

cum

eum calido sæpiuscule, dolorem omnem & punctiones sedat.

Aqua Petroselini.

INdies hausta ad ℥.1. ß.aquæ, quæ ex radice & herba fuerit destillata cerebrum confortat, aperit pulmonum, iecoris & renum infarctus, calculosis à renibus & vesica ægris vtilis, iecur & splenem à sanguine feculento exterget, quemadmodum matricis & renum: pellit calculum atq; vrinam, stranguriam, hydropem, icterum, etiam podagrã sanat, mẽstrua ꝓuocat, nephriticos omnes dolores lenit, Gonorrheę virulentæ & virgæ exulceratæ, quæ multos annos sæpe ægros affligunt, ita occurres. ℞. folia petrosel. & radicum M. 1. Anisi ℥. 1. contusa lebeti ingeras, superfusa aq. petrosel. mensura 1. Obstructo vase bulliat per 4. horæ partem & sponte refrigescat, decoctum per linteũ

traiice, cuius liquoris æger potet diluculis & crepusculis singulis cochlearia 7. ita si singulis potionibus admiscueris Corall. Rub. p̄p. tantum quantum apex cultri capit, paucis diebus curabis.

Aqua Nimphea.

AQua est valde refrigeratoria, rarissime intra corpus exhibetur, q̧ nimiũ refrigeret & semẽ extinguat cũ libidine. Commode vero vsurpatur ad calores doloresq; capitis cũ rosacea & aceto foris imposita, somnũ conciliat deliria tollit & inflãmationes, Erysipelatodes, cancrum vlcera cum intemperie calida compescit, & hæmorrhagiam narium sistit, assumpta proficit ad intemperiem iecoris, in febribus potissimum pestilentibus, extinguit enim sitim & ardorem, palpitationem cordis etiam frenat, & in phtisi vsus illius est salutaris, cum pulmonis & iecoris feruores remittat.

Oleum

Oleum Nimpheæ.

Æstuanti capitis doloris aurium doloribus, surditati paraphrosynis, quales solent esse in febribus ardentibus, spasmo, nephritidi, carbunculis est remedium, fœtui in vtero robur dare creditur, dolores etiam colicos, & cordis palpitationem iniunctum leuat, calorem extinguit præternaturalem, & difficultati deglutiendi auxiliatur, sitim restinguit in omnibus morbis calidis, tabidis etiam congruum.

Sacculus capitalis ad Calores.

R. Flor. Nimph. alb. rosar: Chamomillæ, Maioranæ Fl. Sambuci ana ℥. ß. concisis omnibus inserantur sacculo, qui irrigatur aceto Rosarum ad capitis tegmen.

Aqua Flor. Sambuci.

PEctus dilatat bis de die sumpta, elephantiasi & hydropi remedio est,

eſt, olfactũ amiſſum reparat, naribus immiſſa aqua, viſum acuere ſolet oculis inſtillata: maculas deterget ſi ea facies eluatur, aſſumpta in terroribus conuenit, pellitur inde calculus & arena, muliebrem fluxum reprimit, ventriculum etiam validiorem reddit, iecoris, ſplenis, & renum obſtructa reſerat, catarrhorum materias exigit è corpore, ſedat etiam dolorem capitis applicata.

Tumori Crurum.

R. Folia Sambuci, imbue ſua aqua & tumoribus impone ſæpius, detumeſcet crus.

Oleum Sambuci.

CVtem nitidam reddit, & à ſorde omni liberat, neruos etiam roborat & dolores omnes ſopit: capiti etiam inunctum dolorem aufert,

fert & defendit ab apoplexia gutta auribus immiſſa omnem ſuſurrum & ſonitum coercet, menſtrua prouocat mulierum, ſpaſmo obſtructioni iecoris, quod etiam recreat confert, fœcunditatem præſtat fæminis, ſecundinas exigit, ſcabiem ſanat & ambuſta.

Aqua Senecionis.

PRæcipua eſt hæc in capitis doloribus luis Vngaricæ, ſi quotidie colluantur fauces iſtius cochlearibus 2. & poſt abſorpto cochleari vno ſitim & calorem totius tollit. Ictericis conuenit, cor & ventriculum confortat, lumbricos expellit & calorem p. n. omnem aufert.

Aqua Chamomillæ.

HAuſtus aquæ difficultatem ſpirationis faciliorem reddit, opitulatur & menſtruis ſupreſſis, abigit fætum

fætum mortuum, promouet, arenas, lapillos, vrinas emundat, caput & ventriculum, renes atque vterum. splenem induratum emollit, dolores ab vtero mitiores facit, gingiuas sanguinolentas etiam adstringit, febres & dolores capitis contemperat.

Oleum Chamomillæ.

RElaxat cutis spiracula, vapores molestos dissipat, neruis & articulis conuenit, quos roborat, dolores capitis ab ebrietate consumit, scabiei remedium omni, tumidas palpebras extenuat, oculorũ lachrymas cohibet, dolores in auribus sonitumq; illarum sedat, rimas labiorum percurat, spasmo & apoplexiæ resistit, lac concretum in mammis resoluit, dolores lumborũ, punctiones laterum, tussim, pulmonum vomicas coli dolores, hydropem, renũ exulcerationes (inflammationes) vincit: conuenientiss. est podagræ, cancro, lepræ contusioni mẽbro-

brorum lassitudinibus, etiã lapsu illisis remedio est: neruosarum partiũ &tendonum durities emollit si perlinantur toti etiam corpori robur cõciliat, vnde opulentiores olim vt & nunc, hyeme potissimum cũ balneũ ingrediũtur, totũ corpus oleo isto fricare iubẽt, & insudãt, iterumq; ablui se curãt: æstate vero cum oleo Rosarũ frictiones fiũt, cauendũ tamẽ in isto litu oleorum à lapsu lubrico.

Aqua consolidæ maioris.

VTilissima ad rupta intrinsecus, omniaq; vulnera ab interno principio curat: fiat puluis ex caulibus huius plantæ, q immissus narib⁹ sanguine fluẽtibus, fluxum reprimit: cimices abigit si lectus suffiatur, vt & reliquuum insectarum genus: ꝓfluentem sanguinem ex vulnere cõpescit si inspergatur puluis. Flores plantę sunt colligendæ, dum Sol 15. Leonis gradum permeat, ex quibus facta Conserua, capitis humores superfluos exhaurit, vertiginosis

Ce-

Cephalalgicis, Asthmaticis auxiliatur, pulmonicos, hepaticos, & cardiacos confortat, diarrhœam supprimit, sputo sanguinis, fluxui menstruo mulierum, & dysenteriæ prodest: lypothymiæ resistit. Ex foliis paratur vnguentum, quod Gallicis vlceribus, apostematibus calidis, fistulosis vlceribus, scabiei & cutaneis maculis est opportunum.

Aqua Euphragiæ.

COlligitur herba cum Sol 1. gradum cancri ingreditur, & ad destillationem adhibetur, aqua oculorum tunicis instillata, visum exacuit olfactumq;, cruciatus capitis & laterum pungitiuos dolores finit. capiti & oculis robur conciliat; suffusionem oculorum extergit, dentium dolores & Icteritiam abigit.

Aqua acetosæ.

REfrigeratoria est æstum inter-

norum pellit, venenis resistit, sitim sedat, feruores calidorum morborum remittit, visui prodest, capitis dolores mitigat. In statu pestilente Electuaria omnia & antidota è Theriaca & Mithridatio quæ contra venena valent, hac ipsa aqua exhibentur: optima est etiam inflammatis mammis, deliquia animi adimit & tremores cordis, icterum quoq; atq; splenis duritiem.

Aqua Cardui Benedicti.

(Videtur ab autore hic nominum facta confusio, inter Benedictam, quæ vulgo Caryophyllata dicitur, Germanicis Benedicten wurtzel & Caroffel/ cui hic vires ex descriptione aliqua respondent: & inter Carduum Benedictum cui potiores tribuuntur.) Pota aqua ventriculum roborat & calefacit, vulnera intrinsecus ad sanitatem vsq; curat, crassum & viscidum hu-

morem è iecore propellit, lapidem ex vesica exhausta ante balneum, copiosum sudorem ciet, sanguinem mundiorem facit, & contagiosis febribus prodest, extinguendo virus, sumpto cochleari sub vesperá, somnum allicit, pectoris repletioni febribus, difficultati respirationis auxiliatur, iecoris obstructiones soluit, vt & totius corporis, partũ prõmouet, folia à ieiunis depasta, aluũ soluunt fiat puluis ex foliis, exhibetur pueris in lacte caprino, ante cibum horis tribus, lumbricos interraneos necabit. Vinum etiam cum foliis & radicibus paratum, multis prodest affectibus, mulierũ mẽstrua sedat, & dyssenterias aqua de flosculis parata, peripneumonicis conuenit, quia obturationes referat venarum, anginas internas omnes exigit ventriculum frigidũ pituita obsessum calefacit. Si bibatur aqua ante sectionem venæ, ventriculũ expurgat, maxime prodest tussi, & in statu pestilenti.

Aqua Fumariæ.

FEbribus pestilentibus singulari remedio est, ex præcipuis herbis quæ sanguinem mundificant, hæc ab interno corporis, scabies & cutis defædationes omnes emendat, detergit ventriculum, aperit iecur & lienem, ocularis est, capitis tineas & animalcula abigit, contracturæ ex lue venerea occurit, concretum in corpore sanguinem expellit, auertit syncopen, elephantiasin curat, cerebrum & intellectum confortat, mulieribus nimio fluxu laborantibus optima, pectus dilatat & pulmones aperit: colligenda herba cum Sol in 1. gradu Geminorum est, & fere in quarto destillanda. Summa huius virtus est, purificatio sanguinis.

Aqua Ligustici.

PRæcidenda herba cũ Sol in vltimo Leonis gradu versatur: aqua

resistit venenis, & pleuritidi, concretum sanguinem soluit: aduersatur pesti, hydropi & lepræ à refrigeratione. Balneum ex herba paratum, totum corpus validum præstat, ventriculum corrigit, pulmonumque morbos, mulierum tormina aufert, infectionem gallicam internam & externam tollit, scabiem omnem sanat. Lixiuium inde paratum cum pluuiali aqua, capiti pro lotione infusum, cutim dealbat, etiam in manibus, lendes, pediculos & spurcitiem abstergit, suffita herba mulieribus ad fluxum menstruum prouocandum adhibetur, aperit obstructa, & partum accelerat.

Oleum eiusdem.

CONfert iis, qbus iecinoris & pulmonis substantia labefactatur putredine, viscera illa restaurat, suaueolentem efficit anhelitum, epilepsiæ auxilium, vlcera cacoëthea

thea & ſicca maximè gallica, & lepram ſiccam ſanat tumores ventriculi & crurum diſſipat.

Aqua Betonicæ.

HÆc in doloribus capitis, in feb. vngarica applicata, per lintea humectata, calorem remittit: auribus inſtillata· ſibilum ſedat, ſi vermes in auribus ſtabulantur, expelluntur: aſſumpta vero difficultati reſpirationis confert, bilem atram per veſicam expurgat validiſſime: optima omnino in aurigine, & morbis peſtilentibus. Confert ad apoplexiã, epilepſiam, tuſſim, aſthma: vrinam & calculos mouet, loquelam ablatam reſtituit. & memoriæ ſubſidio eſt, cochlearis menſura. Aqua florum, (qui colligendi Sole exiſtente in 10. gradu Cancri) deſtillata, aſſumpta à ieiunis, præſeruat à veneno tota die, calide hauſta, pectoris leuitatẽ parit & viſui confert.

Oleum Betonicæ.

FEbribus eſt opportunum (iecur refrigerat) & cor roborat, elephantiaſi expetitum, fracturis oſſium & vlceribus diuturnis commodum, articulorũ exoſtoſin cohibet, vnde claudicationes & diſtorſiones fiunt, vertiginoſis & omnibus membris adrophia laborantibus amicũ. colicis conuenit vmbilico perlito, vterum firmum reddit, puluis ex floribus exhibitus, poſt aſſumptum venenum vtilis eſt, ex vino rubro hauſtus dyſenteriam curat. In acetariis comeſti flores ſunt ſaluberrimi, præmunientes à veneno & morbis variis.

Aqua perſicariæ.

LEgenda herba cum Sol 15. grad. virginis occupat aqua ſtillatitia eius, internis tumorbus diſſipandis conuenit, præſtat contra venena & febres auxilium, & pulmoni vtilis, à ſcabie emundat cutem ſi lauetur, vlcera etiam antiqua & verminoſa, gal-

gallica, ipſamq; leprã curat: collutione oris dentes à dolore immunes facit, illosq; creditur emendare, & roborare: In faucibus vlcera gallica ſanat, gargarizando, cutem dealbat lauando, de floribus aqua excepta efficax eſt tempore peſtis. Succus ex herba contuſa expreſſus, & aſperſus pauimento, pulices & inſecta pellit, carnes illo irrigatæ à vernibus defenduntur: Mulieres ventris dolore affectas & vteri aſcenſu liberant, folia decocta in aqua & impoſita calentia etiam menſium fluxum ſolicitãt. Dentis dolori medeberis, ſi folia recentia commanſa affectus ore circa dentem detineat, vt ſuccus bene irriget: poſtea vero id omne expuatur in locum aliquem fertilem, vt ibi putreſcat herba maſticata. Viridis herba carnibus recẽs mactatis impoſita, arcet culices, muſcas & tarmos. Vlcus diſſepuloticũ & cacoëthes hominum atq; iumẽtorũ percurari creditur, ſi herba

persicariæ per flumen tracta & aliquandiu imposita, iterumq; remota, in loci humidi fimeto sepeliatur, quo citius computrescat, alia dein rursum imposita ad putrescendum etiam deponatur: hocq; labore quadragies repetito, quamprimum herbæ computruerint, vlcera sanescunt cum admiratione.

Aqua Rutæ.

FLosculi ad aquam decerpuntur Sole Leonem peragrante, quæ pota venenis internis prodest omnibus, confert in peste, febribus & vlceratis pulmonibus ac iecore: pituitam ex ventriculo & intestinis eiicit, vt & calculum ex renibus & vesica: tormina ventris frenat, robur dat stomacho, nec non capiti. Illita eidem, memoriæ subsidio est, atque catarrhos celeriter ex capite & toto corpore consumit, calore enim suo recreat membra, & superfluitates dissoluit.

Oleum

Oleum Rutæ.

Peſte affectis inſeruit, epilepſiæ pulmonariis& hepaticis vtilis: ſplenis vlcera, cordis palpitationem & ſyncopen curat, excitat viſum & vẽtriculum torpidum, vlcera quæuis externa ad ſanitatem perducit, punctioni laterum commodum eſt & vtero quem calefacit, vt&ventriculũ & renes, ſpaſmo & colicæ prodeſt: fluxiones omnes frigidas à corpore auertit.

Aqua Abſinthii.

Venenorum eſt alexipharmaca, ventriculum calefaciẽs & iecur, anginas, palati ardores, vomitus& diarrheam inhibet, anhelitum commendat. Succus exprimatur è foliis & caulib. is abigit pediculos omnes, lendes, cimices, pulices & inſecta vbicunque illeueris. Succus idem calefactus & cum teſta iuglandis puerorum vmbilico impoſitus, facile tormina ventris ſedat, & lumbricos expellit, eodem temporibus confri-

catis, sommnum suauem conciliat.

Quod sequitur elegans est & notandum cum diligentia, pro pueris nondum quadrimestribns, si post balneum, manuum pedumq; plantæ succo confricentur, illi à frigore ita præseruantur, vt in vita nunquã ex calore aut frigore lædantur: Idem si hoc succo statim à balneo confricati fuerint artus, roburantur toto corpore, quo tota vita immunes fiant à lepra, scabie, furfuratione & gallica lue, cutem etiam nitidam, articulosque concinnos reddit.

Oleum.

OLeum absinthii calefacit ventriculum, vermes necat appetitum cibi excitat, auribus sanguinolentis prodest emollit mammas lacte induratas, vomitus compescit, venenis resistit, splenem indusiratum molliorem facit, febres fugat.

Aqua Rosarum.

PRæstātissima est cōtra calores ꝑter naturā, iecur inflāmatū recreat & corp⁹ totū, cor odore, cerebrū & memoriā reficit apposita capitis ardores, doloresq; sopit, vt & deliquia animi, si arteriis & cordi admoueat, imo toti ēt corpori cōciliat alacritatē & refrigeriū, visū exacuit, oculis amica, si cū illa lauētur vt & fere omnia collyria cū hac ipsā pparātur.

Aqua ad oculos.

R. Foliorū chelidoniæ & fœniculi singulorū manipulū saechari chrystallini ℥. 1. affusa aqua Rof. bene obstructo vase vitreo, in sole p septimanas tres collocētur, hæc aqua quotidie circa diluculū & crepusculū guttatim instillata, omnes sedat dolores caloresq; oculorum, & visus debilitatem aufert.

Oleum Rosarum.

Toti⁹ corporis calorē pternaturalē cōtēperat, vtilissimū phthisicis dētiumdolores cōsopit syncopē & cordis tre-

tremorem sedat, intemperiem calidam iecinoris & renum emẽdat, vires deperditas restaurat, totiq; corpori robur conciliat. In febribus ardentibus, si frons, tempora & plantæ pedũ manuumq; volæ cum arteriis illo perlinantur, ardores mitigat somnumq; conciliat.

Vnguentum maturans & emolliens.

℞. Lactis caprini cochlearia 10. quibus immisce cochlearia 5. micarum panis similaginei, coq; ad ignẽ vt pultis habeat consistentiam, adde cochlear dimidium aquæ Rosar. iterumque coquatur, adiecta croci contriti portione, quantam cultri apex capit, inducatur linteo crassitudine vnius digiti, quod apostemati impositum, singulisq; horis 12. renouatum, maturat & dolores breui sedat.

Aqua Tiliæ.

Valde commendatur ad Epilepsiam,

psiam, cerebrum confortat, tumores ventris dissipat, vterum refrigeratum calefacit, lac præbet mammis, frigidum ventriculum fouet, oculorum maculas absumit. Puero recens nato, si cochlear dimidium ori ingeratur, tota vita ab epilepsia, apoplexia & vertigine tutus creditur.

Aqua Saluiæ.

Cerebro conciliat robur, memoriam & intellectum excitat, iecur imbecille restituit, fœtum mortuum propellit mensesque mouet, conuenit etiam epilepsię, apoplexiæ, & calculis renum & vesicæ. Ventriculum excalefacit, dẽtium cruciatum tollit, dysenteriam sedat. Aqua si irrigantur tempora, frons & ceruix, pręseruat ab apoplexia, melancholiam mitigat, epota libidinem extinguit, maxime commendatur in peste venenosa, prodest pulmonum affectib. interna etiam apostemata sanat, furorem præcauet, iecur obstructum ape-

aperit, lethagrum, ſtranguriam, & calculum curat, tumorem genitalium diſſoluit.

Oleum Saluiæ.

APoſtemata recondita ventriculi, iecoris, pulmonum curat, vtilis calidis qnibuſuis vlcerib. partium obſcenarum, etiam cariei, tumores autem illitum diſſipat, ac dolores mitigat intemperiei cordis calidæ opem fert, forinſecus illitum, tremores cordis & manuum tollit, nec non tumores peſtilentes confricati illo iuuantur, punctiones laterales inde fugantur, oris vlcera & faucium tumores, gingiuas putridas vulneraque omnia hoc oleum curat.

Aqua Veronicæ.

HAnc herbam colligere oportet Sole exiſtente in vltimo gradu Cancri, ad aquæ deſtillationẽ, quæ epo-

epota lepræ fluenti aduersatur, vt & splenis obstructioni & phthisi: caput & intellectum roborat, febribus cõuenit si mane assumatur & insudetur vt & pesti, tussim lenit & expectorationem iuuat, bilem atram contemperat, calculum & vrinas mouet, sanguinem mũdificat, colluuiem à corpore fœdam exturbat, menses partus facile procedere facit, puerorum lumbricis est remedium, calculum vesicalem & renalem expellit, vterum & sanguinem puriores facit, iecur, ventriculum & pulmones feruentes recreat, vlceribus etiam egregie conuenit.

Oleum Veronicæ.

OLeum florum ex vino tenui assumptum, pesti est remedium præseruatorium, & etiam infectorum curatorium, cum potu aliquo vel liquore haustũ, cum vino oligopho-

phoro potum, ventriculum tumidũ & pituitosum deterget, atq; potenter valideq; euacuat, guttula huius olei in aurem demissa, vermes necat inhęrentes, forinsecus deliquio animi cardiaco prodest: saluberrimum iecori, pulmonibus, ventriculo.

Aquæ Origani.

Vulnera interna consolidat & internas exulcerationes quasvis, anginæ & oris siccitatibus conuenit, febri ardenti ac pestilenti, apostematibus etiam internis succurrit: sanguinem purificat, aërẽ venenatũ & infectum corrigit, capitis pungentes dolores acres leuat, & caputà morbis præseruat: gargarisatum catarrhos capitis educit, columellæ relaxatæ auxiliatur, ore quam calidissime detenta, ex gingiuis educit pituitam, & sedat dolores dentium, regio morbo etiam prodest aqua & pleuriticis ac febrientibus, vlcerib. fistulosis quoq; faciei maculis ac pustulis adhibetur.

Oleum

Oleum Origani.

Inunctum calens mulieribus, vteri ascensum habentibus, illius motum frenat: renes inuncti à dolore liberantur, hoc ipso gallica lue affecti & facie pustulosa contaminati curantur.

Aqua Spicæ.

Frigidis omnibus morbis conuenientissima est, potissimum ventriculo frigidiori, iliacæ & colicæ, cordis languori & epilepsiæ, roborans est capitis, cerebri, & cordis, fluxionesq; frigidas absumit.

Oleum Spicæ.

Ventriculum refrigeratum, pulmones, iecur, renesq; calefacit, naribus attractum cerebrum purgat, & olfactui prodest, ob id epilepticis confert: dolores arthriticos iuuat, lumbricos exturbat, si ʒ. guttæ cum vino haustæ fuerint: vulnerarium est, ideo balsamo æquiparatur.

Aqua Serpilli.

ATrophiam vel tabem particularē affricata ſanat, lotu caput à vertigine reddit immune, colligēda autem herba eſt Sole in tauro exiſtente, ſtranguriam à frigore tollit, febres quamprimum, cerebrum & ſanguinem recreat, memoriam vegetam reddit, catarrhos in capite abſumit, vtilis eſt pulmonibus, iecori & anhelationi, expectorationem promouet, infectionibus peſtilentibus & venenoſis morſibus reſiſtit: tormina ventris & dolores alios eximit ad ſputum ſanguinis facit, anginæ & inflammationi faucium proficua, menſes irritat, inteſtina relaxat & deterget, vt & veſicam, ex qua calculos pellit, æſtuanti cordi amica, interna apoſtemata percurat, à virulento aëre defendit, virus expellit, capiti impoſita, à doloribus cephalicis defendit, illiusq; perturbationibus cōfert vulnera etiā venenata curat, inſecta abigit cōclaui reſperſo.

Oleum Serpilli.

FIt oleum ex semine vel floribus, quod febribus pestilentib. quotidianis haustum vtile est, omnes n. expellit internas fluxiones, aperit ie cur obstructum & incensum pulmonesq; (calorem emendat) & recreat, calidam ventriculi intemperiem & tumorem dissipat, ex vesica vrinam atq; calculum propellit, fluxiones capitis acres, doloresq; punctionum & agitationes humorum & apostematum in capite sistit ac sedat fronti illitum, cerebri vires & oculorum aciem intendit, calidis oculorum fluxionibus prodest, præcauet tabem membrorum affrictu & gallicum morbum ficciorem sanat.

Aqua Carui.

DEbilitati capitis remedio est, vt & vertigini & dolorib. capitis ac interiorib. apostematib. illius, sedat

nephriticos dolores : ſanguinem concretum diſſoluit admotu, ex vẽtriculo pellit omnem pituitam, & obſtructos pulmones ac iecur recludit, roboratoria eſt capitis, intellectus acumen facit, colicis doloribus conuenientiſſima, inteſtina à phlegmate detergens, ſplenetica eſt & epatica, vrinam promouendo, pituitæ viſcidæ copiam exigit, frontis tumores diſſipat, ventriculum calefaciendo coctionem iuuat, vermes inteſtinorum pellit, venenis reſiſtit, morbis conuenit cum humore inuadentibus, exhibita ilico ſudorem prouocat, pectus ampliat & cor dilatat, oculorum tumores & fluxus conſumit, vterum frigidum calefacit & tumorem reſoluit, delapſam columellam retrahit ad locum debitum: è capite illa loto extrahitur vapor omnis moleſtus & fluxionis materia caputq; leue & firmum redditur, pediculi, lendes & furfures capitis exterguntur, viſum aqua clario-

riorem efficit, vlcera venenata & morbum gallicum humidiorem curat.

Oleum Carui.

Oleum hoc assumptũ, capiti munimentum & præsidium est contra apostemata interna & catarrhos, cor exhilarat, pellitq; ab ipso, pulmonib. & iecore collectiones ac tumores, iecoris etiam obstructa pandit, extrahit à toto pituitã & superflua excrementa, apoplecticis dicatum sanguinem viscosum & impurum emundat, vẽtriculo pituita obsesso optimum, quam inde euacuat & tonum propriũ conseruat, coctionem promouet, adeoq; omnib. ventriculi morbis & febribus ex ventriculo vtile, maxime cordi debilitato, cum abigat omnia cordis, pectorum & intestinorũ dolores & apostemata, vermes propellit & enecat, colicum est remedium & vterinum, inflationes ventris maxime iuuat, & præcipuum est atq; excellens in vri-

næ difficultate ac matricum expurgatione auxilium.

Aqua Chamædryos.

Oleum carui cum vino gut.4. vel gr. ſnmme valide depellit calculos & grenas renũ.

SAnguinem grumoſum ac concretum, apoſtemata etiam interna ſoluit, venenis aduerſatur, cor calore languidum recreat, vt iecur, ſanguinem arterioſum, ſputum ſanguinolentum & mictionem cruentam compeſcit, abrupta ſanat & venena acria ex corpore propulſat, infectis pota prodeſt, oculi rubentes & calentes hac mitigantur loti, fluxioneſq; arcentur, oculi clareſcunt. Naribus admota impoſita, coryzam veram ſiſtit, acres omnes & calidas fluxiones, ſiccumq; morbum gallicum curat, furfurationem capitis & totius abſtergit, virilium tumores diſcutit. Aqua eadem apoplexiæ, cordis, palmo & tremori, ſudori frigido, anginæq; conuenit, catarrhos ſiſtit, caput firmum reddit, refrigeratis conuenit pulmonibus atq; iecori, reſiſtit veneno peſtilenti, ilia-

ma,

cis & colicis, contractione & distortione membrorum laborātib. optima, si aquam sæpius potabunt, calefacit enim sanguinem. Vlceribus fistulosis humentibus in naso & ozęnis prodest, pestilenti tumori imposita conuenit, conueniens est etiam membris refrigeratis, qui venenata infectione contaminatus est, assidue hanc potet aquam.

Aqua Nasturtii.

IMposita capiti extrahit calores, & dolores eiusdem graues lenit, in maximis capitis morbis: punctiones & vellicationes comprimit capillos elegantiores reddit & in capite retinet, maxime proficit in syncope, ore aliquandiu detenta ac collutione facta, loquelam amissam reparat, intemperies calidas (inflammationes) alterat in corpore, sitim sedans, subitaneasque syncopas curat, capitis tumores dissipat & dolores, tussim lenit, articuli loti inde roborantur, vulnera deterguntur.

Oleum.

Ventriculo prodest inunctũ oleũ ex semine contra dolores, vt & lumborũ & dorsi, capitis tumores & dolores absumit, idq; agile & leue reddit: tumori partium virilium est vtile, pustulas, fistulosa, sordidaq; vlcera humida curat, in mammis etiam cancrum & vlcera humida sanat.

Aqua Alchimillæ.

Colligẽda plãta die 10. Aug. ante exortũ Solem ad aquę destillationẽ, quæ sanguinem, vulnera interna & externa omnia percurat, cum vrina sanguinem cõcretum expellit: præcipua est si mane & sero bibatur in epilepsia & fauciũ excoriatione gargarizando, anginæ initiis conuenit quoque & fauces exulceratas sanat, pulmonẽ & iecur calidiora emẽdat. Qui ex nimia incensione sanguinis arteriosi inflãmatur, adeo vt is effluat, bibat huius aquæ iustã quãtitatẽ, restituetur. Prodest omnib. morbis

calidis & pestilentibus, febribus ardentibus & carbunculis, sanguini ebullienti feruido, tumoribus internis & externis remediatur: Supprimit etiã menstruũ fluxum, adeo vt hoc loco, aqua isthæc, omnibus præferatur. Conuenit etiam omnibus rupturis, vulneribus ac collectionibus, vlceribusq; internis, quæ hac aqua curantur, si mane & sero quotidie cochl. 4. bibantur.

Aqua Fæniculi.

INstillata oculis, visum acutiorem reddit & cerebrum vegetum in functionibus animalibus, & memoria, pulmonum vomicas pellit, & illas aperit, deterget ventriculum, resistit libidini, calculo & arenulis sine molestia, flatus dissipat, & sanguinẽ defecatum efficit, menses sine dolore promouet, ac vterum puriorem facit, lac præbet copiosum & bonũ lactantibus, quod ipsum lac inde paratum haustum pueris tollit coli-

cos dolores & ventris tormina: facit contra hydropem, contra venena, contra icteritiam: aperit splenis oppilationes, conuenit calculosis, ac vrinas ciet.

Oleum Fœniculi.

IMprimis efficaciter dissipat flatus assumptum, & maxime contra colicam facit, vrinas, calculum renum & vesicæ propellit, mulieribus est vtile pp. lactis copiam, menses & vteri expurgationem, ventriculũ cõfortat, phthisicis prodest, pulmones ac jecur obstructũ recludit, tussi conuenit & asthmati, firmã memoriam, cor alacre & sanguinis bonitatem conciliat, catarrhis omnibus malignis repugnat.

Et hactenus de herbis, quas si omnes describerem, ingens facile cõpleretur volumen, propterea de his tantũ scripsi, quas ipse experimẽto veraciter sic se habere deprehendi.

Sequuntur Olea aromatum, & quis illorum in medicina sit vsus.

De Cinamomo.


ELige cortices cinamomi probatos, contunde minutim, & infunde desuper aquam Buglossæ & Borragi. reponantur in cucurbita, imposita etiam alia cucurbita cum ligatura conuenienti, quas immitte balneo M. tepidiori, quo inhæreant diebus 6. exemptæ reponantur in vesicam, vt supra facta est mentio circa initia, destillatio fiat igne blando aquæ & olei, postea aqua separetur per cucurbitam vitream secunda vice, vt eo fiat purior, & præstantior. Licet etiam cinamomum sic infusum vna in cucurbita relinquere & in B.M. destillare, reddet aquam cum oleo exiguo. Licet etiam cinamomum omne prius spiritu vini irrigare per cucurbitam retortam in cinere, fornace competente, & cum excipulo vitreo probe obstructo vrgere, ita vt prima vice

aqua igne remisso, postea oleum igne aucto extrahatur, & sic per retortam aqua habetur efficacissima, sed quæ empyreuma redoleat, quod hoc pacto, vt & in aliis destillatis est corrigendum coniungantur aqua & oleum Cinamomi sic extractum in cucurbita, cui alia conueniens sit applicata, cum rimarum obstructione, illaque inferantur in B. M. temperatum, per dies 9. postea altera cucurbita detracta in locum substituatur alembicus, destillent in B. M. igne mitiori aqua & oleum: destillatum reddatur cucurbitæ & imponatur altera cucurbita desuper cum munimentis, iterumq; per dies 9. in B. M. digeratur, atq; dum iterum fiat destillatio, quod ipsum toties reiterādū donecū aquæ perspicuitas & claritas appareat, minimumq; nidores ignei spiret tum demum facta separatione aquæ ab oleo, custodiantur singula. Sunt & rationes aliæ parandarum aquarum & oleorum de ci-

Empyreuma vt tollendū.

cinamomo, vna: Accipe cinamomi ruditer conquassati, inclusi in cucurbitā (vt supra explicatum) intra cucurbitā vero reponatur orbiculus perforatus, hanc cucurbitam iniice alteri collo præditæ, atq; bene obductis luto commissuris, ita vt cucurbita inferior in terram sit defossa, circa superiorem vero ignis circulariter positus, singulisq; horis auctus: ita etiam multum olei in cucurbita inferiori habebis. Sed hæc ratio nō caret periculo, si enim minima rimula circa commissuras apparuerit, vt tantillum spiritus exhalet, tota illa destillatio est inanis labor & oleum non colliges.

Altera ratio cōmodior est, qua aqua haberi posset pſtātiſſima & nobilissima. Cape matulam aut cucurbitā satis largam, q̄



in fundo affixum habeat hamum aut annulum argillaceum, cui aliquid appendi possit, (vt in margine) cinamomum crassius contusum imponatur sacculo lineo tenuiori, quem constructum superne, appende ad cucurbitæ interiorem partem: cucurbitæ vero inferiori infunde aquarum Borrag. mens. 1. mox cucurbitam superiorem, cui appensus est sacculus immitte huic inferiori, inserto simul collo, & quã diligẽtissime vesicis bubulis rimæ obstruantur, impone cacabo æneo aqua feruenti pleno, in quo bulliant per horas 12. atq; dein sponte refrigescant, detecta cucurbita exemptoque sacculo cinamomum in illo inuenies humidum, quod è sacculo ablatum, pone in mortarium, in massam contunde, ac in cucurbitam vitream inde: vbi multam aquã colligere animus est, aliquid adhuc aquæ Borraginis addi potest calentis, quo minus autem aquæ addideris,
tis,

ris,eo etiam præſtantior aqua fuerit Cinamomi: Iam impoſito pileo roſtrato,deſtilletur per B. M. igne remiſſo, ſed tamen rimis operculo obductis, & ſic aquam colliges nobiliſſimam,& efficaciſſimam,quam, vt pretioſum quiddam, aſſeruabis. Sed illud cinamomum, quod in cucurbitæ fundo remanet, coniectum in Bociam, per catinum arenarium ſubiectis vaſis vitreis deſtilletur adhuc amplius, igne primum temperato, deinde valido, habebis tunc oleum cinamomeum, in quo vbi Empyreuma ſenſeris,illud vt nuper declaratum remoueas. Non deſunt etiam alii faciendarum aquarum & oleorum ex Cinamomo modi,quos vt hic referam ſuperfluum arbitror, parum enim ſunt efficaces, ſolum namque rationes vtiliores deſcribere volui & magis neceſſarios, ne liber compleatur ſine fructu&ſermone inani,q; alias in reprehenſionem

po-

potius,quam laudem ab illis,qui docti & sapientes videri volunt, incurreret,qnare hic nil aliud tradere xolui, quam quod ipſe manibus meis confectum exploraui,atq; re ipſa veriſſimum agnoui.

Aqua Cinamomiæ vſus.

AQua confortatiua iſta eſt calida, memoriæ vires deperditas reparat,cor ipſum recreans & exhilarãs, in deliquio,ſyncope & palpitatione ſi arteriæ illa perfricentur, reſtaurat etiam diſſipationem ſpiritum cerebro & menti vigorem, addit etiam pulmonibus robur ſuum & iecori ac ventriculo conſeruat,ſanguinem frigidiorem venarum excalefacit, ſpiritus vitales excitat, & ſanitatem conſeruat.

Oleum Cinamomi.

BAlſamus eſt vere carus & optimus,qui à corruptione & putredine defendit omnia,vulneraq; ſine dolore

dolore mirabiliter consolidat. Vix omnes illius facultates scripto tradi possunt sufficienter, quam nimirum velociter vnica absumpta guttula, totum corpus roboret, ita vt vires eius euidenter percipiantur, dum cerebrum, cor, ac spiritus vitales ita reficit, ac si virtus cuiq; noua infusa esset. Proprietas illi inest talis vt primo occursu os acri qualitate sed summopere suaui feriat, post hæc caput petat, cerebrum illustret & vires confirmet, catarrhos malitiosos consumat, deinde ad arterias & cor ipsum penetret, in quibus spirituosum sanguinem augeat, erigat atq; corroboret, præterea reserat obstructiones pulmonum & iecoris, tussim leuat, anhelitum suaueolentem & facilem reddit, phthisin remouet, calefacit ventriculum, in quo omnes vapores malignos absumit, caput alias affecturos, coctiones ventriculi adiuuat & desiderium cibi languidum reuocat, ipsumq; ro-

buſtiorem facit, prohibet in ventriculo corruptiones, omnia vaſa obſtructa aperit, viſum acutiorem efficit. parturientibus promptiſſimū eſt remedium ad faciliorem partū, exhibitumq; ſtatim fœtum promouet, ſenibus, ſæpe deliquio animi affi. i ſolitis vt fere extinguantur, ſummum hoc oleum eſt auxilium, quod ipſos cum Dei protectione, ſuſtentat & reficit, ita qui animam acturus eſt, ſi guttulam huius in lingua ſentiat, quaſi ab inferis reuocatur, & reſtituitur. Mulierum menſes excitat & vterum emundat, ſtudioſe igitur cauendum prægnantibus ab hoc oleo, vel etiam aqua, nimium enim mouet, vnde periculum eſſet abortus: nocet etiam olei & aquæ vſus Elephantiacis.

Oleum Croci.

FIt hoc oleum beneficio veſicæ, vt de Cinamomo iam expoſitum, ſed ne quid vel minimum abſcondatur, tradendus eſt modus optimus

mus & excellentissimus, quo pacto ex aromatibus omnibus præstans oleum extrahi possit.

Sume amygdala non rancida, aut vetustate corrupta exuantur sua tunica in aqua calente, conscindantur minutim & per noctem in aqua frigida detineantur, exemptis istis, & exsiccatis, aliquantum in mortario conterantur, coniectis in ollam calefiant, mox per sacculum in torculari expressis, habebis oleũ Amygd. recentiss. quod asseruandum. Iam igitur sume croci contriti, vel alterius cuiusdã aromatis, q. videtur, affunde oleum Amygd. expreff. nõ tamen nimium, & commisce, vt pultis habeat consistentiam, massa in vas vitreum reponatur obturatũ, quod in Sole per septimanas 3. detentum, atque tum rursum per sacculum summa vi expressum, vt omne iterum colligatur, ita oleum Amygdalinum rursum colligetur, in quo vires præstantissimæ

croci sunt reconditæ, quas ab oleo separabis hoc modo: Oleum inde cucurbitæ, cui infundatur spiritus vini optimi & explorati tantum, vt 2. digitis excedat oleum spiritus, huic aliam insterne cucurbitam, collo bene munitam à perspiratione omni, atq; in B. M. digeratur diebus 6. tumq; diremptis his cucurbitis materiam impone vitreæ cucurbitæ cum alembico simili, & per cinerem vndiq; commissuris arctè obstructis lento igne extrahatur spiritus vini, cum quo & oleum croci ascendit, remanēte in fundo cucurbitæ amygdalino. Sed spiritum vini ab oleo croci separabis in hunc modum. Coniungantur in cucurbitula spiritus vini & oleum croci atq; alembico arctissime alligato, per B. M. extrahatur spiritus vini. in subiectum receptaculum, remanebit oleum croci in fundo preciosum & efficacissimum, & hoc ipsum diligenter asseruandum. Atq; hoc pa-

cto ex cariophyllis, pipere, mace, ambra, moſcho, zibetto, aliisq; oleum eſt comparandum. Sed non caret hæc ratio difficultatibus multis, ideo etiam tutiſſime per veſicam extrahatur oleum.

Vires olei de croco.

PRincipaliſſimũ eſt in viribus cordis fouendis & exhilarando corde, vtcunq; etiam triſtitia inualuerit, modo guttula exhibita fuerit lætos & ridentes facit, neq; aliud extat vllum oleorũ, quod tanta vi polleat in lætificando animo poſt perturbationes: aufert omnes cordis debilitationes, punctiones, tremores & palpitationes, ac ſyncopas, caput cõfortat cerebrumq; & memoriam, doloribus colli prodeſt, coryzæ, difficultati reſpirationis, pulmoniacis: renes calefacit & mẽſes expellit, dolores auertit à neruoſis partibus.

Oleum Macis.

OPtimum & nobiliſſimum in a-

nimi defectu, naribus, arteriis & ceruici iniunctum, assumptis vero olei granis 3. vel 4. in aqua propria, deperditam loquelã restituit, colicos dolores & ventris tormina compescit, capitis etiam catarrhos tollit, & caput roborat, pręseruat à vertigine & Epilepsia, ventriculum & vterum robustos facit, tremores cordis à timore metuq; incusso ac perturbationes sedat, aperit obstructiones ventriculi & vesicæ, adeoq; vrinam copiose mouet cum calculo, mulieres ad conceptionem disponit, inflationes & flatus abigit, induratum obstructumq; iecur & splenem soluit, spasmos relaxat, & melancholicum sanguinem, qui cordis angustias per somnum facit, auertit: conuenientissimum sibilo aurium, salutare & vtile laborantibus dentium corruptione & laxitate, quibus sunt sine dolore exemptiles, hi gingiuis sæpe & diu oleum affricare debent.

bent. Et quod de oleo dictum est, id etiam de aqua intelligendum, hoc ſolum diſcrimine ſeruato, quod vnica olei guttula, efficacior ſit, quam 6. aquæ cochlearia.

Oleum Nucis Moſchatæ.

FEre conuenit cum ſuperiori proximo viribus, amiſſum ſermonem reſtituens, cynico ſpaſmo vtile linguam torpidam aut relaxatam liberat, vermibus reſiſtit, & anhelitum emendat. viſus aciem intendit, amiſſum reſtituit olfactum, calefacit, atq; erigit ventriculum refrigeratum, iecur quoq; & renes, ſyncopen curat, menſes mulieribus inhibet & fœcundas reddit, phthiſi laborantibus conuenientiſſimum, ſanguinē emundat, & ſplenē induratū, calorem natiuū conſeruat, totumq; corp⁹ roborat: Præcipua ſunt ad fœcunditatem & fœtus in vtero

conſeruationem Roſmarinus, Nux moſchata, Grana Kermes, oleum, aqua tinctura, electuarium vinum & quicquid ex his paratur cum Maluatico vino, Aqua Roſ. & ſimilibus pro ſcopo exhibitis & aſſumptis.

Oleum Cariophyllorum.

BAlſamus eſt præſtantiſſimus percurans vulnera omnia fundentia ſanguinem & ſerum, quod ſupprimit, intus etiam frenat ſpirituum vitalium impetum & ſanguinem Melancholicum atrum, cauſam triſtitiarum, maniam, febresq; quartanas emendat, robur dat cerebro & cordi, vertiginem ſiſtit, & viſum acuit, caput à catarrhis liberat: colicis prodeſt: aſcenſum vteri prohibet: internas quasq; cõtinui ſolutiones & externas ſanat, vt fibulationes non requirantur: maxime autem vulneribus capitis eſt amicum, cum carnei læſione: menſtrua muliebria promouet & vteros purgat, fœ-

fœcundos reddens gingiuas corruruptas ſanat, & anhelitum commẽdat. Olei huius guttæ aliquot in cereuiſiæ dolium obſtructum immiſſæ à corruptione defendunt.

Oleum piperis.

NEruis tendinibus& articulis refrigeratis cõfert, lethargo, ſpaſmo, oris torturæ, iſchiadi, renibus, inteſtinis, veſicæ cruciatui inſeruit, excalefacit omnia refrigerata membra, viſcidam pituitam & impactam ventriculo, attenuat & abſtergit, atque expulſioni præparat: calculum veſicæ& renum validiſſime expellit, menſes cohibet, membrorum atrophiam curat, epilepſiæ cõuenit guttæ 3. aſſumptæ, colicis cruciatibus& lancinationi ſuccurrit, vt& febribus ſemen auget, & fœcundat, ad libidinem incitat, difficultatem deglutiendi adiuuat, appetentiam cibi & concoctionem promouet, ſanguineas obſtructiones ſoluit, fœcunditatem, viſum clariorem, caput firmum,

mum, & dentes indolentes efficit.

Oleum Anisi.

EPilepsiæ occurrit assumptum, vt & contra colicam, & intestinorum ac ventriculi torsiones est efficax, inflationes contumaces ventriculi dissipat. cuius etiam calorẽ auget & roborat, pulmonum obstructionib. prodest phthisicis & tussiculosis conuenit sanguinem clarificat & emendat vt & visum, capiti multipliciter vtile, cor etiam vegetum reddit, expellit à ventriculo, intestinis, renibus, ac vesica flatus, calculum etiam renalem & vesicalem, cum vrina, quem sine dolore prouocat, vte um rectificat à colluvie pituitosa, lac bonum in mammis causatur.

Oleum de Castoreo.

PAratur hoc modo. ℞. Castorei ℔. 5. incisum cõquassetur in minutas partes, & cucurbitæ paruæ committetur, affusis terebinthinæ claræ ℥ 2 spiritus vini rectificati ℔. 5. arenæ purissimæ & bene elotæ ac cande-

de-

defactæ & exsiccatæ ℔. 5. applicata cucurbita altera ad primam, cum munimentis rimarum, digerantur in B. M per dies 9. tumque reseratis claustris, cōiungantur omnia in retorta Waldenburgica, atq; p catinū cinerarium, cinere in fundo catini, digiti crassitie substrato, tota retorta cinere cribrato cōtegatur, admotoq; rostro incuruato, & excipiente cucurbita satis procera, destilletur igne lento per sex horas: tunc primo separabitur Spiritus vini, destillationem eo vsq; persequere, donec nil amplius separetur, tum desistendum & omnia sponte refrigescant Oleū ab aqua secernendum & reseruandū quod si fœtorem sentias ab igne, modo supra declarato illum tollas.

Olei de Castorio vires.

EST ex præcipuis remediis dicatis apoplexiæ & epilepsiæ tota spina dorsi inūcta, si guttula ori instilletur, linguæ vsum restituet, à paralysi ablatum, si quicquam aliud, sedare solet

ſolet capitis dolores à catarrhis frigidis exortos, ideoque potiſſimum in omnibus capitis frigidis morbis eximium eſt, maxime refrigeratis neruis, tendonibus, ac articulis: ſpaſmo, doloribus aurium, dentium & colli medetur, ſanguinem concretum à corde remouet, vrinam promouet, lac coagulatum in mammis reſoluit, articulorum diſtorſionem & claudicationem ob paralyſin reſtituit, ſperma hominis auget, membrorum tabem, lethargum, ſoporem & dolorem cancri in mammis compeſcit.

Oleum ligni Guaiaci.

R. Scobis ligni Guaiacani vel ſerra deraſi ℔. j. vini Maluat. melioris ℔. j. (idque ſi per retortam deſtillationem es facturus, alias in deſcenſu vino opus non eſt) quæ bene commiſta includantur bociæ retortæ, & ſic conſeruentur in calore mediocri vel ſolis, per dies 9. hyeme vero

ro ad fornacem tun collocabis retortam in catinur cinerarium, in quo digitati craſſitudine fundum arena ſit conſtratur, ipſa vero retorta, tota cooperiatu arena, annexoq; recipiente vaſe, ommiſſuræ arcte obturentur, atq; tum ignis fornacis ſucendatur, primun quidem admouendo ignem mitbrem, poſt validiſſimum & ſic primum habebis aquam, poſtea oleun, quod ſpiritus reddit (educitur prorſus, inſtar fumi è retorta in vas recipiens.) His ſponte refrigeratis, excipulo ablato, ab aqua oleum ſeparandum, quod maxime fætet ob empyreuma, ſed conciliari poteſt odor gratus, quemadmodum alias dictum.

Vſus olei maximus eſt in morbo gallico, & aliis malis inde obortis. De quo ſi guttulæ 10. immiſceantur ad ℔. 1. ſacchari clarificati, vt fiant orbiculi & de iis quotidie vnus aſſumatur omnes dolores capitis & catarrhos gallicorum malignos conſumet

met, toto corpre. Eodem modo huius olei 3. ac 4. guttæ in aqua haustæ pro sudce, ad horas 4. continuando, idq; mensem continuatum, vitatis aromatis, sale & viscosis, sed instituto v.cta frugali & congruo sanguinem egregie mundificat, obstructiones pulmonis & iecoris abigit: consumit morbum gallicum cũ doloribus, prodest pinguibus, quos demacrat, vlcera faucium percurat exteriora, variolas magnas omniaque vlcera gallica, vbicunq; in corpore sita: Haustus ita vsurpatus, curationi gallicorum per ligni decoctũ, inunctiones, & infumationes æquiparatur, nisi quod huius vsus salubrior & tutior sit (quam qui per litum & fumum vsitatus est. quorũ ope multi in periculũ præcipitantur.) Signũ vero huius luis potissimũ est, quod infecti de die leuius more sanorum habeant, sed sole occidente obrepũt tanti toto corpore dolores, ὀστοκόποι vt quo se vertant nesciant aut quid agant

agant(hoc tamen symptoma etiam quandoq; in aliis morbis fuit exploratum, vbi nulla vnquam erat vel minima luis venereę suspicio) quod potissimum contingit in morbis quibusdam epidemicis, quod ipsum vsitatum cognoscitur in febribus pestilentibus, vngaricis, &c. vbi multum redundat seri calidioris, cōsuetumq; est naturæ intra corpus sese noctu recipere, atque punctionibus preesse, ideoque etiam tales humores sub noctem plus negotii facessunt.

Oleum baccarum iuniperi & ligni iuniperini.

PRæstātiss. fit ex baccis, variis modis, sed per vesicam, per retortam & per descensum, vt cuique videtur conueniens esse, quod è ligno fit, minus est præstans, eo quod ex baccis paratur. Oleum vero bacca-

carum, doloribus omnibus frigidis opponitur,&febri quartanæ,ex vtero educit humiditates prauas & fœcundum efficit, auditum difficilem restituit,& strepitum dissipat,achores capitis sanat,capillos elegantiores facit, epilepticis & maniacis cõfert,atq; melancholicis, laborantib. quoq; ex dolore dentium, ventriculum calefacit, icterum abigit & pestem, cum vrina calculos expellit, vermes interaneos necat, addit capiti robur,cordi ac ventriculo, prodest interaneis malis quamplurimis apostematibus &venenatis,dolores lumborum ac renum lenit, anhelitum gratum præstat, punctiones ex flatibus dissipat,ad somnum cõfert, contusionibus violentis & tumoribus commodat illitum, omni etiam scabiei,& lepræ,sanguini congelato ac vulneribus prodest. Aqua illa ardens quæ ex baccis cũ vini fece per vesicam extrahitur iisdem pollet viribus (vermem enim cordis enecat)
ieco-

iecoris pulmonum, ventriculi & cerebri vires roborat, aëri pestilenti aduersatur, matricem expurgat, vt & renes atq; vesicam, dolores capitis tollit & visum clariorem efficit, ac hydropem curat,

Oleum baccarum lauri.

R. baccarum lauri q. v. contundantur in puluerem, iniectis illis in cucurbitam, affundatur vini aliquid, quæ contecta in B. M. diebus 9. digerantur calide, apertione facta & illis adhuc calentibus imponantur in sacculum, exprimatur oleum quod est asseruandum, si vero oleum expetis efficacius & purius, tum baccas contritas in vesicam repone, affusa aqua quantum sat sit, & oleum expectatur destillatione.

Calefactorium est hoc oleum, cōferens obstructionibus omnibus, & colicis doloribus, ventriculum calefacit & cōfortat, dolores capitis mitigat, perinde vt ventriculi, iecoris, splenis, renum matricis & neruosa-

rum partium,adeoq; omnibus frigidis morbis prodest, prohibet capillorum defluuium,pediculos & lẽtes cum scabie pellit, dolores mitiores facit in oculis & auribus, aurium etiam tinnitum& sibilos tollit,ex ventriculo tormina & flatus consumit, iecur refrigeratũ calefacit,atrophię conuenit, hydropi & scirrho lienis, spasmo etiam est vtile & distortis articulis ac tendonibus,vt & scabiei& pruritui.

Oleum ex Caluaria humana.

PAratur ex cranio hominis sicco, quod eligendum de homine violenta morte interempto, nequaquã morbis cõfecto,cum in homine qui vi morborũ in lecto moritur omnes vna vires& balsamus naturalis commoriatur&corrumpatur,mumia vero mortuorum nullius est vtilitatis, quod vero ex balsamis additur, non propterea illius præstantiorem reddit naturam,aut ipse pra stãtior balsamus efficitur, cum spiritus balsame-

meus sit destructus. Quid igitur nobis prosunt Aegyptiorum & Americanorum cadauera? quamuis plus tribuendum sit his, qui pereunt spiritu gelante, quam illis, in violenter peremptis aliter se res habet, qui sani fuerat & integra valetudine fruebantur, in quib. verus balsamus & vires integræ, licet imperceptibiliter subsistunt. Igitur minutissime limato aut deraso affundatur exiguum vini, sicq; dieb. 3 aut 4. permaneant, tũ per bociam Waldenburgicã, in arena exstillet, primum lento igne, post ea validiori aqua & oleum, hoc oleũ mirabilem cõtrahit odorem ex homine, idq; tãquam secretissimum & summum remedium cõtra apoplexiã & epilepsiã celebratur, cuius guttæ 3. exhibentur in aqua florũ tiliæ.

Sal cranii hominis.

Fit ex cranio humano hoc pacto Sal, cranii rasura minuta, imponatur ollæ operculo bene agglutinato, & in furno figuli cum fictilibus

vratur, exempta olla, & aperta, calx apparebit candidissima, quam iniice linteis mundis, ac stramini cum vrceo perforato, subiectaq; patina munda, infunde aquam calidam puram, aquam percolatam coque lento igne prunarum ad spissitudinem & parum salis reperies, quem diligenter asseruabis ad vsum, cuius exiguum porrigendum homini apoplexia correpto, vel epilepsia, miraberis illius virtutes præsentes.

Oleum ossium hominis.

SVmantur ossium hominis fragmenta minutim excisa, quæ in catino separatorio candescant aut vrantur, feruentia ossa iniice oleo communi, exempta rursus, in bociam retortam coniiciantur, & fiat per arenam destillatio olei. Quod vbi efficacius & præsentius habere exoptas, præparabis iuxta modum proxime in oleo de caluaria hominis explicatum. Oleum illud omnes dolores arthriticos atq; articulorum cōsopit, si illinatur.

Aqua excrementorum hominis.

HOminis ſani ſtercus in cucurbitam repoſitum alembico bene tecto ac obturato aquaſeparetur illaq; in cucurbitam refuſa denuo, iterumq; ſeparata, tertio etiam repeti deſtillatio debet, vbi fœtuerit, ſole vel per M. B. fœtor auferēdus, vt ſupra monuimus Magnarum eſt viriū hęc aqua, paronychias ſanat impoſita. cancrum curat & tumores ac carbunculos peſtilentes, quos ad maturationem, apertionem ac ſanationē perducit, quemadmodum & vlcera fiſtuloſa, maculas detergit & cicatrices, oculorum rubori & intemperiei prodeſt guttula immiſſa, lachrymas reprimit, & pediculas cōſumit oculorū. Hauſta vero & irrigato capite, epilepticis aqua ſuccurrit, calculos veſicæ ac renū exſoluit & cū vrina expellit, hydropicis eſt vtilis, maxime vero pota cōtra morsū canis rabidi. Lotūcaput capillos ꝓducit, faciei quoq; nitidior cutis illa redditur.

Aqua sanguinis hominis.

MAio mense hominis sani iuuenis & vegeti sanguinem collige quem mundæ cucurbitæ vitreæ include, vt tertia pars repleatur, applicataq; altera cucurbita cum munimentis, reponantur in B. M. calore mediocri tam diu donec inferior cucurbita sanguine tota repleatur, cũ sanguis fermẽtatione quadã augeri soleat, tũ deposita cucurbita superiore & admoto pileo rostrato, fiat destillatio in B. M. separabitur aqua exigui valoris ꝙ vero in fũdo cucurbitæ remãserit, id in retortã illatum cineri inferatur, admotaq; alia retorta vitrea spõteq; lutũ exsiccetur, atq; tũ ad stillandũ relinquatur, vbi nihil amplius stillatione separabitur, spõte refrigeratis vasis lutũ pãnis humidis emolliatur, aq̃ quæ ex sanguine separata fuerit, iterum in retortã aliquã inijce, eodemq; modo commissuris obstructis, facta destillatione, nouies repetatur destillatio & idem

idem labor, tuncq; erit absolutum opus, reseruetur destillatum vt res preciosa. Exhibita omnibus morbis totius corporis resistit, vires deperditas reparat, est enim in sanguine hominis omne robur vitaq; & quia sanguis optimus à corde perficitur, ideo roborat & nutrit hominem totum. Erit vero solum adhibenda in extremo periculo vitæ aliis omnib. nil conferentibus. (Hæc si vera sunt, quomodo omnes morbos præcauebit, credatur authori, quantum experientia admittit argumenta enim & rationes autoris quas adducit nō sufficiunt, sapit phantasiam Paracelsicam.

Oleum Laudani.

LAudanum Gummi est exoticum odoratum, cuius elige tibi quantitatem aliquam, adde dimidium eiusdē silicū vstorū & contusorum, affusoq; Spiritu vini exiguo, simul imponantur in retortam quam capellę arenariæ immitte & aquam cū oleo

exſtillare ſine hanc vitreæ inde cucurbitæ & applicato alembico per B.M. fiat exſtillatio, quod exſtillatũ fuerit, redde cucurbitæ & deſtillationem quinquies reuoca, ſic habebis oleum pulchrum & odoratum, quod caput totum roborat, & illius dolores tollit à catarrhis frigidis exortos ſternutationes excitat, olfactum deperditum reſtituit, oculorũ tumores ſoluit, ceruici inunctum, prodeſt apoplexiæ & linguæ reſolutæ, gingiuas ſanguinolentas firmat & dentes, reſpirationem faciliorem reddit, coryzam & deglutiendi difficultatem ſanat ſyncopen, cardialgiam cordis tremorem & dolorem matricis auertit, ad fœcunditatem cõfert, fœtum expellit emortuum, phthiſicis prodeſſe poteſt.

Aqua & Oleum mellis.

MEllis optimi quantum libuerit VValdéburgicę cucurbitę im po-

pone, ita vt tres partes relinquantur vacuæ, ſolaq; quarta pars ſit repleta, adiice dimidium arenæ puræ, quæ prius candefacta fuerit, beneq; inuicem commiſtis & alembico impoſito ac arcte obſtructo, catinoq; cinerario cucurbitam immitte, cineribus vndiq; ad dimidias vſq; contectam, roſtro alembici vas capax pro receptaculo ſubmitte, ita vt rimulæ iuncturarum quam diligentiſſime ſint obturatæ luto artificiali, quod ſponte inibi ſicceſcat, tumq; deſtillationis fac initiũ, & poſt horas demum 12. ignem augebis ſitq; primum aqua alba, dein flaua, cum aliquot guttulis olei, tandem ruberrima aqua & oleum exſtillabit, quod tamdiu effluere permittas, donec nullæ amplius guttullæ ſtillent, & vltimo ignem intendens, ſponte omnia refrigerari permittes, tuncq; apertis vaſis, aquam cum oleo ex receptaculo depromptam, cucurbitæ redde, cum alembici impoſitio-

ne & agglutinatione, atque hoc modo secunda iterum destillatio fiat, postea ex recipiente vase in cucurbitam vitream cum suo conuenienti alembico, in B. M. destillatio tertia peragatur.

Et hoc destillatum iterũm in cucurbitam eandem infusum repetatur per vices quinque: In quinta vero & vltima destillatione vnumquodque horum, aqua nimirum & oleum seorsim colligendum, & sic primum prodibit aqua candida, pauci valoris, secundo flauescens, quã cũ ex guttulis descendere cognoueris: vas recipiens commutandum, aliud substituendum quamprimum, & omnia simul excipiantur, tandem habebis feruescentem & flauam aquam cum oleo, variarum virum, quam diligentissime custodienda.

Hisce duobus aqua scilicet & oleo, capilli tincti, soleque exsiccati, firmiter poris affiguntur, molles

tene-

tenerique fiunt & flaui, auri modo ſplendentes: Si oculis immitratu, omnes tollit illorũ calores. epiphoras & lachrymas ambuſtionem omnem ſanat, cicatrices & vibices delet, cutem candidam & nitentem efficit. Exhibita in deliquio vel ſyncope, vires reſtituit, prodeſt pota ad tuſſim & coryzam: ventriculum excalefacit, ſanguinem clarificat, præcauet putredinem ex catarrhis in corpore contumacibus. Externa vulne a omnia ad conſolidationem perducit & carnem bonam cauſatur renaſcentem, à ſymptomatibus eadem prauis præſeruat. Si caro mactati animalis huic aquæ imponatur, non corrumpetur, neq; vermiculos generabit.

Oleum Ceræ.

QVando hoc oleũ omnibus numeris perfectum viribusq; integr m conficere volueris, ceram prius recte præparabis hoc modo. Accipe

cipe ceræ quantum videtur, in pelui munda liquescat igne remissiori, cera liquata, in promptu habeas catinum capaciorem vino eo vsq; repletum, vt cera liquata vino hinc inde infundi & innatare tenui crusta possit, hanc ceram rursus de vino detractam pelui puriori redde, rursumque liquefacta in vinum vt ante infundatur, & hanc liquationem & fusionem super vinum, septies reiterabis, tum cera conuenienter ad destillationem erit præparata, quam loco frigidiori in frustula crassiora conscindes, cuius si fuerit ℔. I. addes silicum prius excandefactorum & contritorum dimidium, quæ omnia commista inde in Retortam bene mundatam & firmam, quam impones catino arena contecto, orificio vero admouebis vas recipiens, bene amplum & capax commodumq;, cuius rimas luto sapientiæ quam arctissime constringes: destillationis initium fiat igne

igne leniſſimo & exiguo horis 6. aut 7. caue ne nimium feſtines, deinde paulatim ignem augeas, tum primum prodibit aqua, poſtea oleum, quod in recipiente ſicut cera concreſcet, auge amplius ignem, iam ex retorta in recipiens vas veluti fumus, vapor aut nebula præcipitabitur denſiſſima, quæ appellatur ſpiritus, qui dum prodit, ignis ſemper fouendus & augendus, donec craſſus vapor omnis deſcendat, atque vas recipiens rurſum clareſcat & perſpicuum fiat, tum demum ignis deſtruatur paulatim & omnia refrigeſcant, hinc recipiens vas auferto, in quo quia cera concreuit, vas illud in aquam feruentem, vt cera rurſum liqueſcat & fluat, collocato, ſicq; calentem ex recipiente in Retortam regere & in catinum arenarium mitte, admoto receptaculo, ac fiat deſtillatio ſecunda vice, poſtquam cera iterum calore liquata Retortæ rurſum ingeratur vt ante,

ita

ita vt nouies cera per destillationem separetur. Quod si in vase recipiẽte vltro fluidum fuerit instar olei, non requiritur vt in aquam calentem recipiens immittatur. Id etiam notandum, cum idem vas receptorium ex aqua calida deponitur, quod sponte & paulatim ad refrigerandum seponatur, metus enim alias est rupturæ. Vbi cum oleum ceræ nouem destillationibus fuerit segregatum, tum ex recipiente ceram repone in cucurbitã Waldenburgensem, cui superne aptabis similẽ aliã, vesicis bubulis bene agglutinatã, quæ in B. M. 9. diebus mergatur cũ calore æquali spõte refrigescat, vase aperto iterum in aliam cucurbitam cum alembico reponatur, fac vt per B. M. destillet, vbi in totum descenderit, vel etiam vbi totũ descendat (quod tamẽ fieri non nisi rarissime & difficulter potest) tũ rursus coniungãtur omnia in cucurbita superiore agglutinata alia, & ad digestionẽ iterũ B.

per

per dies 7. reponantur calore æquali, demum iterum apertis vasis & destillatione repetita, tertioq; iterum in cucurbitam duplicem reposita & diebus 5. digesta in B. M. tandemq; alembico rursum admoto, & destillatione per B.M. facta eo vsq; vrgeatur, donec aliq̃d decedat: sic reperies in receptaculo præclarissimum, pretiosum & saluberrimũ atq; pulcherrimum oleum ceræ, quod ad varia olea pro sanandis vulneribus inseruiet, veluti si in oleum tale cõiecceris flores hyperici, menseque integro in Sole reposueris, & post expresseris, tunc acquires balsamũ verissimum qui omnia vulnera glutinat.

Oleum ceræ dolores podagricorum mirifice lenit, vt & manuum pedumque cruciatus, linguæ vulneratæ, rimis palati, labiorum ac papillarum in mammis muliebribus multis doloribus infectis egregium inueteratas etiam manuũ pedumq; fissu- *Vires Oleĩ ceræ.*

fiſſuras cito percurat. Omnia vulnera quantũcunq; maxima, breui pſanat vt & omnia ſugillata & contuſa diſſipat ac dolores mitigat, maxime ex percuſſione tumore oborto cum dolore pene lethali, ad quẽ ſedandum, cape olei ceræ ℥. I. & cũ ℥. ß. olei laterum permiſce & calide ægrum illinito, qui ſtatim leuamen ſentiet atq; remiſſionem.

Oleum Myrrhæ.

Myrrhæ rubræ electæ quantum videtur, contunde craſſiuſcule, permiſce contrita fragmenta vaſorum Waldenburgenſium probe exuſta, ſed pauca quantitate, quæ omnia in Retortam poſita imbuantur ſpiritu vini bono, vt modice irrigentur, retorta vero arenæ immergatur cum excipiente vaſe, fac quo à vino oleum deſtillet, quod rurſum retortę redditum & deſtillatione iterum ſeparatum, tertio etiam faciendum: quo facto, oleum à ſpiritu ſepa-

ſeparatum conſeruandum. Hoc oleum omnem putredinem inhibet, omnia à corruptione præſeruat integra in ſua natura, vnde antiquitus cadauera Myrrha inungebantur, ne facile computreſcerent. Si quis balneum ingreditur faciem oleo iſto illinat, præſtat illi ſpeciem iuuentutis & cutim nitidam ab inquinatione defendit. Oleum hoc dentium etiam acerbos dolores tollit, vocem clariorem efficit atq; anhelitum commendat, & cordi euentationem liberam faciens. Quotidie aliquid aſſumptum præſeruat ab infectione aëris, defendit à corruptione internorum, robur conciliat ventriculo, cordi, iecori, vtero, abſumit vapores & catarrhos moleſtos, totius corporis vulnera tã interna quam externa curat, vt ſcabiem & puſtulas, fœtũ pellit emortuum, roborat auditum, memoriam & cerebrum ipſum, reiectioni ſanguineolẽtę prodeſt, quã compeſcit.

Oleum Thuris.

EOdem pacto vt de Myrrha oleum hoc parandum, iisdemque pollet viribus, in eo saltem differt præcipue atq; excellit, quod raucedinem hominis, vbi verbum vix vllum proferre potest adeo mitigat, vt si tres guttæ aliquot diebus mane exhibeantur paulatim deglutiendę, paucis diebus vocem & loquelam reducat integram, nam sanat internas læsiones faucium, neq; quicquã est efficacius & exploratius in phthisi ad vlcera pulmonum, vel ventriculi pituitam viscosam, quã si quotidie grana 7. huius olei in aqua Rosar. absorbeantur apostemata maturat ventriculũ roborat, ac odore vires cerebri ac cordis reficit, sanguinis nariũ fluxũ inhibet, oculorũ vitia tollit, ac auriũ, vt etiã ozænas, cerebrum à vaporibus prauis defendit, qui à ventriculo ad caput ascendunt, prodest etiam spasmo cynico & conuulsioni, catarrhos tussimque

que sedat, vt & punctorios lateris dolores, rimas labiorum, manuum pedumque consolidat, ascensum matricis prohibet,& vterum emundat, menses prouocat, vrinam vero purulentam & sanguinolentam, diarrhœam ac dysenteriam supprimit.

Oleum Mastiches.

CVcurbitæ Mastiche semiplenę, orbiculum perforatũ ad ipsam vsque Mastichen impone, moxaliam in terram sepeli ad collum vsque, cui altera cum Mastiche superne collotenus aptetur, commissuris vndique optime perlutatis & sponte siccatis, multum enim in perlutatione ad hanc destillationem situm est: quamprimum enim vaporibus patuerit exitus, omnis in cassum labor & sumptus impenditur, his sic recte peractis, circumda ignem circularem ex prunis, cubitum distantem, quem paulatim semper adiectis carbonibus foue-

bis, augebis, atq; singulis horis ternis propius cucurbitæ admouebis, donec tandem is quam proximus fiat, ita vt tandem superior cucurbita prunis prorsus obruatur, & ipsa etiam cucurbita instar prunarum candescat & tum demum ignem extingui sine, atque sua sponte refrigescere, eo pacto habebis in inferiori cucurbita oleum egregium Mastichinum, quod vbi fœtorem contraxerit, facile emendabis.

Parari solet etiam hoc modo. Mastichem irriga spiritu vini, vt parum imbuatur, quam inde retortæ, hanc arenæ committe, & oleum atque aquam destillatione extrahe, quod per balneũ dein rursum erit reducendum & clarificandum vt superius explicatum est, sic oleum fit præstantissimum & diligenter asseruandum.

Oleum Mastichinum robur dat ventriculo, capiti, iecori, neruosis partibus, articulis, omnes tumores dis-

dissipat & dolores mitigat, confert capitis doloribus & dysenteriæ, rupturæ cranii, confert etiam sputo sanguinis & tussi, vomicæ pulmonum, procidentiæ ani, ac cordylomatibus, iecori refrigerato, ventriculo & illius apostematibus, vermibus etiam aduersatur & vteri ascensui atque prolapsui: eodem pacto vermibus dentium ac paronychiis remedium est.

Optimum & præstantissimum est oleum in ventriculi debilitate, à morbis aut crapula conciliata, ita dum omnem cibum quis auersatur & euomit, vnde quamplurimos mori contingit, his huius olei guttæ 7. vel 9. cum vino calido exhibendæ & cordis ventriculi & præcordiorum regio perungenda, quæ quamprimum vomitum frenant, ventriculum confortant, appetentiam excitant ciborum, totumque corpus omnibus membris vegetum reddunt.

Oleum Terebinthinæ.

ACcipiatur Terebinthina ſelecta, quæ indatur cucurbitæ aut bociæ, vt quarta ſolum pars ſit repleta, atque per arenam igne leni deſtillatio peragatur, ne Terebinthina mox ebulliat, quod ne fiat, cauetur ſi aliquid arenæ purioris commiſceatur. Inter deſtillandum primum videbis aquam prodire, mox oleum clarum & perſpicuum albumque, dein flauũ, quod vti ex guttis agnoueris profluere, vas recipiens permutabis & oleum album perſpicuumque diligenter aſſerua, quod optimum & ſubtiliſſimum eſt: Vbi vero flauas guttas conſpexeris, etiã ſecundum receptaculum permutabis & oleum ſeorſim quoq; cuſtodiendum erit: atq; ſubiecto tertio receptaculo, tertiũ etiam oleum deſtillatione eo vſq; pelle, donec nil amplius quicquam prodierit, quod dili-

diligentissime est conseruandū,preclarissimum ad omnes morbos, potissimum neruorum & artuum distortorum & torpidorum, rimas ac scabiem narium,labiorum ac papillarum sanat, cerebrū calefacit & omnes fluxiones à cerebro exhaurit, quod corroborat cum intellectu & auditu, prodest etiam spasmo, & apostematibus omnibus duris emollitionem conciliat: pungitiuis etiā laterum doloribus confert,si mane pondere aurei vngarici cum vino assumptum fuerit, vehementissime propellit vrinam & calculum, renesq; exulceratos curat, vnde sæpissime vrina cruenta prodire solet. Valde preciosum in febribus pestilentibus & venenosis, maxime vero conuulsionibus vulnerū succurrit. Ventriculus eo illitus calefit, & appetitus ad cibum prouocatur, conueniens est tussi,&pulmoniacis, spirationem facit largam & liberā, pectus obstructum dilatat & aperit,

tabi medullarum occurrit, aufert ventris animalia, torsiones & cruciatus ventriculi & intestinorum, interna etiam vlcera pulmonum, iecoris, ventris & renum, vt & exteriora omnia vulnera procurat, cum scabie, lepra, psora: valde conducit membris frigore externo læsis & cõtractis, ichori profluenti ex vulneribus, fracturis crurum, & induratis mamillis: Pustulis omnibus malignis & gallicis sanandis, cape sulphuris triti q. v. quod coniunge in vase quodam cum oleo terebinth. flauo, quæ per horas duas seponantur & optime commisceantur, habebis egregium vnguentum crassiusculũ, quo si illeueris, omnem scabiem cito sanabis. Oleo albo perline cicatrices ex vulneribus derelictas, id exterget & cutim reddit pulchram, splendidam albamq;. Hoc oleo parari possunt balsami præstantes & olea perspicua.

Oleum

Oleum de lateribus quod & oleum philosophorum, Benedictum & sanctum dicitur.

R. Laterum nouiter igne excoctorum, & in fragmina auellanæ instar reductorum, iniice catillo fusorio aurifabrorum calenti, atq; in ignem è carbonibus excitatum repone, additis subinde prunis: simul autem in promptu habeas oleum oliuarum catino satis amplo infusum in quo laterum candentium fragmẽta ordine extinguantur singula, idq; paulatim faciendum, vnum post alterum iniiciendo, ne oleum ex copia feruentium laterum fragmentorum incendatur: quo facto oleum ex catino à fragmentis effundendum vt fragmenta relinquantur sicca: in eodẽ oleo iam etiã plura fragmenta laterum extinguere licet, cum alias nullius sit vsus oleum, fragmenta vero biduo aëri exponantur, vt paululum exsiccentur, quæ deinde in crassiorem puluerem cõtudẽs o-

pe mortarii hunc puluerē in retortā Waldēburgicā cōiice atq; parenariū catinū cū receptaculo valde amplo, primū igneleni destillationē post validissimo vrge, vt catinus & retorta tota simul cādeāt instar prunarū donec guttula nō amplius exeat è retorta, tūc ignē extingue, ac reliqua spōte refrigescere pmitte, & in cōcceptaculo pulchrū habebis oleū. Hoc oleo dein rursū in catinū mundū refuso, candefactisque iterum laterum fragmētis, in illo extinguantur, oleū separetur atq; rursum in eodē alia fragmenta extinguantur, toties donec fragmenta illa candefacta omne oleū imbiberint, tum contrita & in retortam satis firmam nouamq; reiecta, fiat destillatio vt modo dictum est, secunda. Atque sic ex recipiente oleo ablato, rursumq; in eodem fragminibus candentibus laterū tertio restinctis, illisq; cōtritis & in nouam validam retortam sepositis, tertia etiam fiat destillatio per arenas, tum erit

erit perfectum & probum, quod diligentissime est custodiendū. Quod si tibi oleum optimum, pulcherrimum, clarissimum atq; efficacissimū reseruaturus es, ita agēdum: Oleum lateritium destillatione exceptum cucurbitæ infunde, cui aliam desuper iniice probe munitam, atq; per dies 21. in B.M. calente foue, tum reseratis & in cucurbitam vitream oleo translato, cum suo alembico & admoto receptaculo foris vndique obstructo, mox habebis in receptorio vase oleum pulchrum & pellucidum, id tibi tāquam preciosum balsamum asseruabis. Quod in fundo cucurbitæ remāserit, optimum quidem est etiam, sed minus tenue & efficax, ut prius, omnes medici & viri sapientes ac docti huius olei præstātiam satis prædicare nequeunt. Omnibus morbis frigidis conueniens est, quia calidum est, penetrans & emolliens tumorum durorum & apostematum, maxime proficit in epi- *Olei lateritij vsus.*

le-

lepsia, vertigine, apoplexia, spasmo & doloribus dorsi, gonagræ, arthritidis, iecoris, renū & splenis, omnia membra refrigerata restituit, illitum vulnera quæuis sanat, si vulnera à balsamo inde cum herbis conficiantur: fissuras manuum ac pedū hyeme obortas curat, vt & tremores eorundem: vbi dolor exortus fuerit colli, vt quis ægre flectat, vel tendines rigeant, ex fluxionibus, tum illæ partes oleo probe perlinātur, & lintea isto irrigata alliganda, emollit ac roborat neruos & tendines catarrhos consumit, & si haustum fuerit, renum & vesicæ regio simul perungatur, calculum rumpit & per vrinę vias propellit: scabiei etiam vesicæ & cuticulæ abrasæ intra vesicam, salutare: qui difficulter mingit, aliquid huius olei assumat, & pubem illinat, vrina prouocabitur auditui cō fert & tinnitum ac susurrum abigit, vt & omnes ad aures fluxiones contumaces, si linteolum oleo imbutū im-

imponatur. Omnes etiam in aurib. vermes enecat, siue geniti sint in auribus, siue illapsi, torturę oris à paralysi est remedium, doloribusque vẽtriculi & vteri. Qui doloribus lumborum & ossis sacri sic cruciatur, vt neq; erigi aut se flectere possit, sed incuruatus permaneat, huic lumbi oleo hoc laterum perungantur, mitigabitur malum. Maturat etiam omnia apostemata dura aperit & emollit ac sanat. Cõfert spleni scirrhoso, blãde autẽ aperit & emollit ac humectat lienem naribus illitum, epilepsiam abigit & cerebri obstructiones in osse ethmoide, doloribus omnibus capitis aduersatur à frigore, occiput inunctum roborat, memoriam confirmat ac intellectum. Gingiuæ si perlinantur hoc oleo, omnes dentium dolores aufert & illorum vermes interimit assumptum & inunctum vterum refrigeratum alterat mensesque proritat, & fœtum mortuum eiicit, omnesq; omnium

ve-

venarum obstructiones soluit, sanguinem concretum ex plagis & contusione dissipat & liquidum reddit, humiditates superfluas sterilium fœminarum absumit. Prodest etiam haustum contra tussim frigidam. pulmonum etiam obstructiones & pectoris aperit, respirationem pro corde promouet, circa pectus emollit omnem colluuiem pituitosam & viscidã, supercilia si inungãtur oculorũ lachrymas auertit & dolores omnes, visum acutiorem facit, visoriosque spiritus promptos reddit. omnib. venenosis morsib. aduersatur, maxime rabidi canis, serpentum, scorpionum, vesparũ, apũ & araneorum, si læsæ parte inunctæ isto oleo fuerint. Idem si cum vino bono sorbeatur cordis tremorem & palpitationem ac deliquia sistit, ventriculum calefacit & intestini recti torsiones & cruciatus mitigat, sanguineum sputum & mictum cruentum tollit, assumptum vero cum

aqua absinthii vermes omnes enecat internos. Vlcera omnia externa & apostemata, scabiem lepram, pustulas malignas & fistulas ad sanitatem perducit. Plures essent recensendæ virtutes huius olei, quas breuitatis gratia relinquo. Fit etiam beneficio huius olei vnguentum q; amorem conciliat hominibus, candelæ etiam ardentes mirabiliter finguntur.

Oleum ex vitellis ouorum.

MOdi 4. recensentur. Primum ℞. oua n. xx. vel xxx coquantur ad duritiem, amoto albumine, vitelli manibus conterantur, coniecti in peluim ad ignem prunarum bene incalescant, subinde agitando cum ligula ferrea & diu ad ignem detineantur, quo bene succulenti fiant & spument, sic vitelli, dum adhuc calent, statim deponantur in pannum, ac exprimantur, acquires oleum flauum, pingue, quod vitrea am-

ampulla exceptum, in Sole continendum, quo clarefcat vt oleum.

Deinde vitelli in pelui ad ignem eo vfq; contineantur & agitentur donec fufcedinem aut nigredinem quandam acquirant, mox cochleari ad latus peluis comprimenti, vt olei aliquid exudet, quod emiffum in mundum aliquod vafculum, foli exponendum.

Tertio contritum ouorum luteum ponatur in retortam. atq; ex arena, fubiecto receptaculo ftillet oleũ.

Quarto. Sume ouorum eduratorum n. xxx. & manibus bene cõtritorum, quibus adde pyrethri in puluerem redacti ℥.2. quæ permifta probe, includantur retortæ, vt fiat deftillatio olei, per arenam, primum igne mitiori, dein validiffimo: his factis accipe thuris albi, caftorei, laudani an. ℥.j. iftis pulueriza tis cum oleo ouorum modo dicto permifceantur, & vna in retorta cum puluere iterum deftillatio perficiatur & hic la-

labor quater eſt repetendus, ſicq; oleum erit perfectum. Prodeſt hoc oleum ſi guttula oculis imponatur ad omnes illorum dolores & moleſtias. Cancrum extirpat, fiſtuloſa ſanat, verrucas diſſipat, apoſtemata & tumores ſubigit, conuenit podagricis, bis de die facta inũctione crurũ: ambuſta quæuis cito perſanat, neq; poſt ſanationem cicatrices relinquit. Oleum vero ouorũ iuxta tres priores modos factũ, omnib. cicatricib poſt vulnera aut vlcera derelictis inſeruire poteſt, cutem erugat & emaculat, detergit omnes furfures, ſquamas & ſordes, pilos producit, doloribus aurium conueniens eſt, & hęmorrhoidibus fluentibus cum dolore & condylomatis, ſtranguriæ vtile: vlcera fœtida ad ſanitatem promouet.

Album vero ouorum in mortario contuſum, & admiſto flore albar. fabarum, cum ſucco Limonum, in cucurbita vitrea cum ſuo alembico per B.M. agantur, vt aqua ſeparetur, illa-

que iterum eandem in cucurbitam mundatam refuſa & iterum deſtillatione repetita, vſque ad vices nouem vrgeatur (quo ſæpius n. agitur, eo præſtantius euadit deſtillatum) quo cum ſi facies lauetur, cutis dealbatur, illuſtratur & ab omni ſorde emundatur ac pulchrior redditur. Sunt & aliæ aquæ ad illuſtrandam faciem, ſed ſine damno non poſſunt vſurpari.

Oleum Balſami Chirurgicale.

R Olei oliuar. ℔.1. florum hyperici, Betonicæ, prunellæ, centauri ana m. j. contritis & cõmiſtis reb. prædictis, cõiungãtur in cucurbita omnia, & impoſito alẽbico, collocentur ad ſolẽ, vt humiditas ſuperflua euaneſcat mẽſtruo ſpacio, dein exprimantur & cõſeruẽtur, hoc oleo ſi vulnera quotidie mane & veſperi inungantur, reliquis non opus erit, vel vnguentis, vel emplaſtris, quod enim alias curationi aduerſatur, id hoc oleo ſolo mirabiliter ſanatur.

Oleum

Oleum Taxi.

PEllem taxo detrahe, caput, pedes & interanea remoue, impone in cncurbitam capacem cum orbiculo perforato intra cucurbitam, ad eius sc. limbum aptato, quam dein cucurbitam inuersam alteri cucurbitæ collotenus in terra defossæ, obstructis omnibus rimis, impone ac ignem circulariter superne excita, fiatq; destillatio descensoria. Hoc ipso oleo, cum oleo laterum probe remisto, æquo pondere, membrisq; debilitatis, claudis & distortis illitum, illis amissum robur & vim restituit.

Oleum succini.

MOdus I. ℞. succini el & ruditer contusi, iniice cucurbitæ, cum impositione orbiculi pforati, hanc alteri ēt cucurbitæ inuerso orificio aptabis, vacua vero in terrā demissa ad rimas vsq;, ora vtrinq; quā probe obturentur, superne igne excitato paulatim, donec tādē supior cucurbita igniatur tota, relictis ad refrige-

rationem spontaneam, in cucurbita inferiore remanebit oleum crassum nigrę picis instar. Huic oleo adde dimidium silicum bene contusorum & commistorum, atq; per retortam, sat munitam in arena, cum receptaculo egregie agglutinato, fac oleum exstillet, cui fœtorẽ ab igne auferes, vt supra explicatum est.

Modus 2. Succini ℔. j. adiunge arenæ igne prius probe excandefactę tantundem, iniectisq; simul in retortam, ac in catino arenario, cum suo vase excipiente bene obstructis, vrgeatur destillatio olei quam diu educi potest. Oleum hoc impone cucurbitæ, & alia quoq; desuper imposita, communitaq; collocentur ambæ in B.M. purum, quo inhæreant mens. 1. tumq; in cucurbita vitrea cum alembico fiat destillatio quantum licet, quæ omnia rursus in cucurbita coniunges, alteraq; superne imposita, iterum diebus 14. in B.M. calente digerátur, postea vero destillentur:

Idem

Idem etiam destillatum tertio cum priori coniungendum, 8. dieb. digeratur in B.M. & destillatio tertio iteretur. Quod vero clarum & pellucidum in recipienté defluxerit, id hoc pacto totum efficies adhuc clarius & elegantius. Cape vitream ampullam instar infundibuli, quæ superne & inferne angusta habeat foramina, vt in margine designatum est, appone orificio inferiori digitum, infunde aquam rosarum claram, vt ad dimidias repleatur, huic infunde oleum succini clarum, oppone etiam orificio superiori digitum, & vas concute per octauam horæ partem: si oleum non fuerit purum & tenue, aqua rosarum euadet turbida ex oleo, qua turbata paululum quiesce, aqua rosarum descendet innatante oleo, amoto digito ab orificio inferiori, aquam profluere sine turbidam, ad oleum vsque, quod ne exeat digitum oppo-



ne atque rurſum alia aqua Roſar. clara iniecta,colluc vt ante, iſte labor concutiendi & nouam aquam Roſarum affundendi & lauandi,toties iterandus eſt, donec prorſus aqua Roſar. lympida & pura permaneat cum oleo, atque hoc pacto olea quæ pura eſſe debent, lauantur. Aquam igitur Roſar. puram cum oleo transfer in cucurbitam vitream minorem cum alembico quadrante, reponatur in B. M. vnde fiat deſtillationis beneficio ſeparatio olei ſuccini clari & pellucidi, quod dein iterum cum alia aqua Roſar. cucurbitæ eſt reddendum & deſtillatione ſeparandum,hoc nouem vicibus eſt peragendum,quo ſæpius enim cum recenti aqua Roſar.deſtillatio repetitur,eo etiam præſtantius, pulchrius & magis perſpicuum, viribuſque efficacius & odoratius oleum euadet.

Olea vt lauanda.

Hoc oleum arte ſic extractum, tanquam precioſum quiddam, vaſe cri-

cristallino custodiendum, quod vero in fundo cucurbitæ instar axungiæ remanet, id etiam in oleum & efficacissimum redigi potest, eo modo, qui exponendus deinceps est. Oleum hoc crassum nigrumque, omnibus valde præstans est, ad consolidationem sine dolore producit. Accipe fragmēta laterum magnitudine iuglandis, quæ ignientur, & in oleo nigro extinguantur, contrita mittantur in retortam cum arena, vt destillet oleum primum igne remisso, tandem valido, elicietur oleum pulchrum & perspicuum, cuius fœtorem abiges, vt supra indicatum est.

Tertius modus (mihi quidem non exploratus at meo iudicio inde oleū pulcherrimum parari poterit) talis est, ℞. succini in minimas partes cōtriti, imponatur cucurbitæ, superiniecto spiritu vini bono, vt trāsuersū digitum emineat, sed ita ne cucurbita cū puluere & vino ad quartam

illius partem repleatur, alias ſpiritus vini inter deſtillationem omnia cũ impetu diſſiparet, huic aptabis cucurbitam aliam collo præditam, facta obſtructione validiſſima, imponatur arenario, illo caloris gradu, vt ſuperne in arena digitum admotum ſine læſione continere poſſis: hoc caloris gradu ad dies 6. contineantur, tum refrigerata aperiantur, & in aliam cucurbitam translata, impoſito pileo apte, ſpiritum vini per deſtillationem collige in vaſe excipiente, ex quo vaſe affunde rurſus cucurbitæ, admotoq; pileo conuenienter obſtructo, iterum ſpiritũ vini excipe vt ante, hæc transfuſio & deſtillatio eo vſq; reuocanda, donec in fundo cucurbitæ ſuccinum vertatur in oleum. Hoc oleum denique immittatur alteri cucurbitæ mundæ, iniecta alia cum ſuis perlutationibus, atq; in B. M. ad menſem detineatur calore mediocri, exemptum tandem filtretur per goſſypiũ & cuſtodiatur. Oleum

Oleum ſuccini veteribus diceba tur oleũ ſanctum, propter vires illius maximas, occultas & mirabiles. Apud Meſuen extat oleum lateritium aut philoſophorum dictum eſſe oleum ſapiétiæ, oleum perfecti magiſterii, benedictum, diuinum, ſanctum. Item oleum gagatæ ſcilicet de nigro ſuccino, oleũ ſacratum, quod aliqui ſic accipiunt, quoniam morbo caduco, qui ſacer appellatur pellendo inſeruit. Quamuis alii epitheton additum velint ab oleo Petræ, quod diuis acceptum refertur, & diuæ Catharinæ oleum cognominatur, de quibus conſulendus Baccius lib. 5. de thermis cap. 13. Balſamus eſt verus habens in ſe omnes vires ſuccini, ſed multo tenuiores, penetrabiliores atq; celeriores, cum guttula vna efficacitate vincat bonam quãtitatem ſuccini crudi, ita vt hoc oleum ſuperet omnia reliqua olea, quæcunq; longe & prope excogitari poterunt. Accipiatur ℔.j. ſacchari diſ- *Olei ſuccini nomina.*

soluti, cui immisceantur guttæ 20. olei succisni ol. cinamomi guttæ 3. confectisq; inde rotulis, quarum vna quotidie edatur, custodit ab omni aëris inquinatione, & peste roborat cerebrum & functiones in illo mentis, omnesq; è capite catarrhos exsiccat, ventriculũ calefacit, vt & cor, cui spiritus vitales reficit: maxime autem promouet vrinam & calculum pellit, sanguinis sputum reprimit & mictum, calculum in renibus atque in vesica atterit ita vt frustulatim excernatur: si quotidie guttula naribus iniiciatur, confert quam maxime aeri infecto: assumpta vero cum aqua Betonicæ vel Titiæ aut Rorismarini confert eximie vertiginosis, tremori capitis, apoplexiæ, epilepsiæ, & catarrhis à quibus etiã morbis præseruat. Vbi vero à morbis p̃dictis aliqs corripitur, illi quamprimum de oleo cum prædictis aquis guttæ aliquot exhibeantur, ceruix autem & na-

res eodem bene confricentur, paroxiſmus remittit. Inſignem etiam præſtat vſum in roborandis neruis, in ſpaſmo, in paralyticis & ſtupidis membris, ſi ſæpius perfricentur, reſtituit in integrum, contra calculum exhibendum cum aqua petroſelini partum promouet cum aqua verbenæ. Quod ſi cum axungia ſerpentum commiſceatur, & vmbilico parturientium illinatur, euidenter & valde ꝓmouet partũ. Præcordia vero eodem illita: cum naribus, vteri aſcenſum prohibet. Imo ſæpius vſurpatum oleum, totum hominem confortat, præcauet omnem in ventriculo corruptionem & putredinem ex defluxionibus gignendam: palpitationi cordis, tremori & ſyncopi opitulatur, omnemque conſumit in eo lentorem & viſciditatem quam mundificat, atq; concoctionem illius promouet.

Atq; hactenus traditum eſt vt omnia olea ex herbis, foliis ſeminibus, lignis, aromatis, gummi & te-

rebinthina arte parari debeant, secundum quos prædictos modos etiam conficienda sunt olea ex omnibus aliis resinis & pice, quæ si singula describerentur, iustam voluminis molem excederent.

Magicum naturale arcanum.

PArturienti mulieri, quæ nulla ratione eniti potest, neq; succurrunt remedia varia, exhibeatur illi aliquid de vrina mariti, atque ita statim liberabitur, & ilico proderit, Oportet autem vrinam esse veri patris propriam, alias inefficax foret remedium. Nota hoc sæpe alias exploratum, decepit, vide ne infames innocentem.

LIBRI PRIMI

Pars ſecunda:

DE MINERALIVM APPARATV,

VT SVLPHVRIS, ARSENICI, Antimonij, Vitrioli, Aluminis, Salis, Salis gemmæ, Salis Ammoniaci, viridis æris, Tartari &c. ad vſum medicum.

SVBLIMATIO SVLPHVRIS.



Vblimatio nihil aliud eſt, quam partem ſubtiliorem, ſpirituoſiorem & fugaciorem impurioremq; à craſſo, terreno & impuriore corpore tollere ac ſeparare, vt ita illa terrena fundum vaſis, ſubtilior vero pars ſummitatem petat: id quod ſolum contingit in iis, quæ ignem continuum non ferunt, vt in Sulphure, Auripigmento, Antimonio & ſale Ammoniaco: quæ quia

Sublimatio quid.

quia ignis violentiam nõ sustinent, ideo sequentem in modum sublimatione præparantur.

Sulphuris sublimatio. Accipe vitrioli vngarici ℔. 1. cui admisce sulph. puri citrini ℔. 1. omnibus in puluerem redactis coniungantur in vase Waldenburgico valido, aptato conuenienti pileo amplo, commissuræ hiatus luto artificioso bene obducantur, atq; bociam hanc cum suo capite colloca in catinum cinerarium, cinere digiti transuersi latitudine conspersо, vt vndique vas foris cineribus obruatur, vsq; ad summum, quo ad nihil illius præter capitellum aëri exponatur: sed capitello rostrum breue esse oportet, digiti vnius longitudine. Tum ignis in fornace, cui catinus inhæret ex prunis succendatur, quo accenso paulatim ostiolum inferius, per quod cinis extrahi solet, diligentissime claudatur, luto etiam obducatur, ne quicquam aëris permeet. Sed antequam pru-

nas

næ fornaci iniiciantur, ferream craticulam, quæ in fornace esse solet, manu optime detersam esse conuenit, ne quid luti aut lapillorum illi adhæreat. Iam & alterum ostiolum suo operculo bene obturabis, qua nimirum carbones à fornace excipiuntur. In summo vero fornacis, iuxta marginem catinorum, vbi 4. angulis fornacis respiracula esse solent, tria ex his suis occlude operculis arctissime, quartum vero vix ad dimidias teneatur apertum, & sic relinquatur horis 6. Iam prunis ex fornace ad cratem vsque decidentibus, vt 10. vel 12. tantum adhuc reliquæ sint in fornace, tunc nouis fornacem decet carbonibus replere. (Et hoc in omni destillatione & sublimatione diligenter obseruare oportet.) Quod si hoc caloris gradu 6. horis actum sit, admoueatur rostro illi breuiori excipulum, quo humiditas vitrioli & Sulphuris, quæ primo instar aquæ emanat

emanat guttatim excipiatur. Horis 6. elapsis, quartum illud spiraculum, cum suo operculo totum recludatur, reliquis tribus arcte adhuc obstructis. Vbi iam obseruaueris nec guttuiam amplius profluere ex rostro, ita vt illud plane exsiccatū fuerit, intra vero pilei cauitatem instar veri fumi quid appareat, in eoq; delabi incipiat ad similitudinē coloris alicuius lutei: tū foramen illud alēbici luto puro arctissime obducito, amotoq; excipiente vase, eodem caloris gradu, horis 6. quoq; vrgeatur:. Tuncque & tertium operculum primum aliquantulum remouebis & hoc eodem caloris gradu 6. horis aliis detineatur, tandemque operculum prorsus admatur, subinde bociæ pileum seu alembicum explorando, an coloris eum gradū habeat, vt aliquantisper manus cōtactum ferat, qui conueniens est: horis vero vltimis si alembicus eum calorem præbeat, vt manum susti-

nere

nere non poſſis, ibi tertiũ illud ſpiraculũ ſuo operculo rurſum occludes, & ſaltem opus vrgebis quarti ſpiraculi relaxatione, tam æquabili caloris momento, vt vix aliquantisper manum citra læſionem alembico imponere poſſis, neque deſiſtes ab opere, donec alembicũ refrigerari ſentias, quod ſignum eſt, ſulphuris præſtantiores & puriores partes, à craſſis & impurioribus, vt & à vitriolo in alembici ſummum ſublimatum eſſe. Dimittantur ſic per horas 24. vt omnia ſponte refrigeſcant, dehinc bociam cum ſuo pileo è cinere exime, lutumq; madidis linteis emolliendum, vel cultro abradendum eſt (memento vt ſemper madidam chartam collo bociæ quam proxime circumponas, non enim alias alembicum à bocia auferre poteris.) cauendum etiam vt ſi ignem vltra præſcriptum modum auxeris, ſulphur præ nimio calore in alẽbico fluat, & in ipſo fluxu

forte etiam inflammetur, vnde cum damno periculum emergere posset: Ideoque ante omnia diligens ignis moderatio est habenda.) Adempto alembico, reperies in illo sulphur spongiosum egregium, quod detersum ex alembici cauitate, lapide marmoreo bene contere, aut alias contunde, cui æqualem partem adiunge vitrioli recentis bene contriti & commisti: Iam sume bociam, in qua reperies materiam nigram, hanc extrahes & asseruabis, ex qua vitriolum parare poteris. Bociæ reddes sulphur sublimatum cum vitriolo remistum, impositoq; alembico, & rimis luto obductis, in catinoque cinerum repositis, ac cinere consperso vt prius, ignem admoue vt supra expositum est, & sic secunde vice sublimationem sulphuris ex bocia in alembicum procura. Hoc facto, iterum sulphur ex pileo seu alembico extrahatur, nouumq; vitriolum pari quantitate comminutum ad-

adiungatur & boeiæ ingeratur, admoto alembico cum perlutatione, cinereq; vt prius factum, tertio sulphuris sublimatio repetatur, iterũque addito alio vitriolo ad sulphur sublimatum, quarta vice in sublime agatur, & hic labor sublimationis sulphuris, quinquies, aut septies repeti debet, vt singulis vicibus vitriolũ recens addatur. Iã igitur peractis 7. sublimationibus vase vel theca lignea vt arcanũ præstantiss. asseruetur. Huius sulphuris sublimati, quotidie cum pane & butyro assumpta portione, vel solum quantum tres cultrorum extremitates capiunt, cũ saccharo vel alia ratione deuorata, omnẽ tussim, difficultatemq; respira tionis & vomicas pulmonis funditus tollet, interna vlcera omnia ad sanitatem perducet. Omnibus tussientibus sulphur, vt dictũ est, exhibere conuenit, breui succurrit, maxime si alia non contulerint, & neque sulphur tussi medeatur, tũc nulli amplius remedio locus est, pectus

dilatat & perſpirabile facit, facilem & bonum anhelitum conciliat, hydropi remedio eſt ſi conuenienter, iuſta quantitate adminiſtretur: Corpora à febribus immunia præſtat, & à caduco malo: robur & florem hominis tuetur, nullam enim putredinem aut corruptionem inualeſcere ſinit, maxime à pituita & prauis humoribus ortam tuſſim omnem pellit, Balſamus eſt verus, qui corpus à morbis quibusuis vindicat, pro merito ſatis extolli & agnoſci in operibus ſuis non poteſt. Vinum quod cum ſulphure ſublimato conditum fuerit, nunquam deſtruetur, ſed integrum & purum permanet. talia quoq; vina ſulphur ſublimatū experta, eam acquirunt virtutem & proprietatem, vt bibentibus nullum metum calculi aut arenarum pariant, vt neq; epileptica & apoplectica pericula, vel aliud quodcunq; malum apoſtematum, catarrhorum, febrium, tuſſis & pu.

tre,

tredinis : verum potu iſtius præſeruantur à dictis incommodis, neque quicquam vino præſtantius excogitatur.

Notandum hoc de ſulphure, quod vbi ter recenter ſemper addito vitriolo, in ſublime actum fuerit, accipe ſublimatum ſulphur & nigrum illum ſeu fuſcum puluerem bociæ fundo adhærentem, commiſce & ſimul contere, & iterum in Bociam conijce atq; ſublimatione extolle: Sulphur quod alembicum petiit, iterum cum nigro puluere in fundo bociæ coniunge & commiſce, atque ſublime rurſum effice ſulphur: hoc ipſum, coniectio nimirum pulueris nigri, & ſublimatio, toties reuocandum, donec nullum amplius ſulphur ad alembici ſublimia aſcendit, ſed omnia in fundo bociæ vna cohærant.

Sic optimam & præſtantiſſimam ſulphuris præparationem eo

redegisti vt in igne subsistat, non ardeat, cum antea ignis vim prorsus non ferret & inflammaretur. Multo plura huic sulphuri insunt arcana, quam quæ supra reuelata sunt.

Alia sublimatio Sulphuris.

R. Sulph. puluerisati ℔. 1. vitrioli vngarici ℥. 5. salis gemmæ in puluerem redacti, an. ℥. 5. aloës, thuris, myrrhæ, ana ℥. 3. omnia permisce & in cucurbitam Waldenburgicam sat validam deponantur, collo vero bociæ chartam humidam circumplica & desuper galeam, breui rostro præditam impone, rimis luto secundum artem obstructis: dein in catinum cinerarium, cinere vndique sepultum collocabis, & sublimationem, vt supra monstratum est, perfice.

Sed sciendum hanc sublimandi rationem, esse tardiorem, operosiorem, & maioris diligentiæ, quam illam

illam, quæ cum vitriolo peragitur: Primum emanat aqua limpida, deinde oleum ex rubro fuſcum. Roſtrum autem fere tamdiu ſit apertum, donec nil amplius vel liquoris vel olei guttatim ſtillet, tum demum roſtrum conſtipandum diligenter, videbis totum alembicum colorem recepturum è rubro puniceũ, vt nil amplius dignoſcere poſſis. Notandum etiam quod in hac ſublimandi ratione, ignis validior paulo eſſe debeat quam in præcedente, ita vt difficilius aliquando manum alembico imponere poſſis, talisque calor æqualis & continuus inter ſublimationem durare debet, donec faſtigiũ alẽbici tepeſcat, tum demũ deſiſtendũ, & omnia ſpõte refrigeſcãt, cucurbita extrahatur lutũ auferatur, galea amoueatur, occurret intra alembici cauitates ſulphur egregiũ & eximiũ, quod aſſeruandum eſt, cuius ſublimati ſulphu-

ris, cape ℔. 1. adde vitrioli & salis gemmæ an. ℥. 5. aloës, myrrhæ, thuris an. ℥. 3. omnia ista cum sulphure prædicto contrita aut leuigata in marmore, permiſceantur, reddantur Bociæ, inducto rurſus alembico prius ad munditiem deterſo, lutoq; iterum probe communito, per cineres & ignis ordinationes ſecunda vice in ſublime pellantur, quo facto, bis ſublimatum ſulphur, tertio ex alembico extrahe, tritoque adiunge vitrioli, ſalis gemmæ, aloës, myrrhæ, thuris æquales portiones vt prius, diligentiſſime permiſtis tertio ingere in bociam cum alembico, lutatione & per cineris ſepulturam conſuetã, tertio etiam in ſublimes alembici partes ſulphur educito.

Et hic labor ſublimationis, cum noua commixtione vitrioli, ſalis &c. Aloës, Myrrhæ, ac Thuris, quinque vel 7. vicibus repetendus eſt, ita vt ſulphur non commutes,

ſed

ſed vnum idemque ſemper retineas neque vnquam aliud recens addas. Illo iam 5. vel 7 vicibus in ſublime pulſo, poſſidebis ſummum, optimũ & exploratiſſimum peſtilentis veneni prę ſeruatorium antidotum. Iſtius aliquam portionem cum neceſſitas contagii ingruit, ſequentibus permiſcebis rebus ita vt ſulphuris prædicti & comminuti eligas ℥. x. myrrhæ Romanæ rubræ ℥. 1. ß. aloes ℥.j. croci ℥. 1.ß. ex quibus omnibus ſubtiliſſimum conficies puluerem: cuius ſi ſingulis horis matutinis, aurei Rhen. pōdus ſolum, vel in aqua acetoſæ obtuleris, aſſumentem horis 24. ab omni periculo contagii peſtiferi, à pleuriſi maligna & lethali immunem reddes. Et hoc pacto etiam prodeſt exhibitum ad aëris quaſvis corruptiones, præmunit etiam corpus aduerſus venenorum quæuis damna horis 24. tuetur corpus ab omni deſtructione in ſuo vigore, interna quæuis apoſtemata pulmonũ,

iecoris, ventris, splenis & intestinorum percurat.

Tussim veterem & recentem auertit, neq; apoplexiam, epilepsiam neq; vertiginem corripere vtentes permittit. Estq; verus balsamus intra viscera receptus.

Restat adhuc valde arcanum de hoc sulphure obseruandum, nimirum quod omne genus impetiginis & serpiginis malignæ, scabiemq; erodentem foris admotum sanet, si parum inspergatur. Ad quem vsum sublimatio talis requiritur. Tolle sulphuris ℔. j. vitroli ℥. 3. Aluminis, salis gemmæ aluminis pulmosi ana ℥. 3. redactis his in tenuissimum puluerem & probe mistis, indantur bociæ, applicato alembico in fastigium euehatur sulphur, hoc ipsum sulphur eleuatum, iterum cum vitriolo, sale gem. alumine & alumine pulmoso permisce, & in sublime reducito vt prius, hancque operationem sublimandi sulphuris cum ad-

additione vitrioli, salis & aluminum, quinquies reuocabis & tūc sulphuris ad externum vsum vera habebitur præparatio, istud in vase recondc, quo omnia maligna vlcera, scabiem, serpigines, lepras & pustulas gallicas curabis: Adeo enim subtilis est essentia huius sulphuris, vt solum foris admotum, vlcera enarrata ad sanitatem perducat.

Antimonii sublimatio.

ANtimonii recipe ℔.4. salis ammoniaci ℔. 3. salis communis candefacti igne ℔. j. bene omnibus contritis & commistis, includantur cucurbitæ VValdenburgicæ sat validæ, quæ adaptato suo pileo luto probe obducatur: dehinc in catinum in quo digiti vnius crassitudine arena sit posita, transferatur, arena ingesta catino, circa cucurbitam ad galeam vsque, mox ignem subiice & in sublime age: Os

vero

vero nostri luto oportet esse obstru-ctum. Ignis eam adhibe moderatio-nem, qualis supra exposita est in sul-phure, & sic manifeste videbis fu-mum densum & crassum, alembici summum petere, qui sese rursum prę cipitabit in alembici limbum intra pilei cauitates, apparebitq; interna illius facies quasi sudore tenui obdu-cta, sed cum colorum variorum gra-tia, & elegantia, vtpote albi, flaui ru-bicundi, permittatur talis ascensus donec pilei conuexum subfrigescat, & tum desiste, vt sponte sua refri-gerentur omnia. Extracta cucurbi-ta ex arena, abraso luto solicite de-posito pileo puluis in alembico ap-parebit tenuis & ruber, quo deterso omnia, in pyxide lignea cõseruabis, quod tenacius adhæret superiori cucurbitæ parti, cultro derade, & cum illo quod in fundo eius reman-sit, mortario imponatur, insuper ad-iecti salis Armenii ℥. 4 atque probe comminutum & commistum, red-da-

datur hoc omne cucurbitæ, iterumque pileo suo arcte applicato, sed prius emundato, luto conglutinentur, atque denuo vt ante in catino arenario sublimatio instituatur: initio quidem spiraculum quartum semiapertum detineatur ad horam sextam, postea totum apertum sit & post horas 6. alias, tertium spiraculum ad dimidias recludatur, & tandem totum, sublimationis signum primum fuerit, si vltimo manum cum aliqua molestia aliquandiu alembico seu pileo admouere poteris, tum debitus est ignis gradus, quem non transcendere aut in eo deficere debes, quo quidem igne operaberis continuo, donec in alembico obseruetur caloris prædicti imminutio: & tunc ab opere desistendum ignis ipse deferueat, omniaq; infrigidentur ex sese, dehinc iterum exime bociam ex arena, lutum remoue, pileum detrahe, inuenies puluerem in eo egregium subtilem, sub lu-

lucidũ flauescentẽ, quẽ chartæ imponito mundæ, q vero tenacius alẽbici parietib. cohæsit, cultello vel in curuato ferro abradendũ est, atq; ad puriorẽ puluerẽ in pixide lignea reponendũ, pileũ vero cucurbitalẽ ꝑbe ad vsus alios detergendũ cures, vt ꝑspicuus & mundus fiat. Si cõtingat vt inter sublimationis opus bocia rũpatur, q ex arena colligi potest, si n. arena circa cucurbitã effumet, odorque peregrinus sentiatur, optimum fuerit & citra periculũ, faciẽ totã oculis exceptis, quadruplicato linteo cõstringere, dein manib. sed quadruplicato linteo munitis, celeriter cucurbita cũ alembico ex arena vel catino eripiẽda & in terrã frigidã reponẽda quo virulẽtus fum⁹ nemini nocere possit, hoc pacto omnia, quæ ad sublimationis opus electa sunt cõseruantur præter exiguã eius iacturam, tũq; contusa, omnia nouæ indantur alicui bociæ ad sublimandũ. Ergo in nomine Christi puluerẽ in lignea pixide

xide asseruatū, omnē diligēter in leuorē contere puro marmore, eumq; in cucurbitā Waldēburgicā egregiā & pstantē immitte, applicata galea mūda, q̄ luto tegatur, & iterū in catinū cinerariū reponatur, cui ad duorum digitorum crassitudinem cinis sit vndiq; aspersus ad summa vsque bociæ, rostrum vero galeæ sit obstructum argilla. Subiiciatur ignis primum lenis & sublimia omnia agantur in alembicum, ignem vero nequaquam tam intensum esse oportet vt in prima sublimatione fuerat, neq; vltra vnū spiraculū in fornace laxādū. Vbi galeæ summitas feruorē remiserit ignis spōte extinguatur, & omnia refrigescant vltro, bociam tum ex cinere tolle & lutum depone, puluerem egregium & purissimum habebis. Hunc puluerem cōminutum in marmore, vt & si quid in fundo bociæ restiterit, quod alembici fastigia assecutum non sit, illud derasum & additum huic pulueri

per

permisceatur & simul ista vna bociç reddantur agglutinato argilla pileo vsitato, per cinerem in sublime agãtur vt prius monuimus. Post hęc pulluis ex alembico & ex ipsa cucurbita colligatur, in lapide inuicem ad minutissima attritus, rursum in bociam regeratur, adiuncta etiam beneficio luti sua galea, iterumque per cineres puluis ille regeratur. Quo facto eodem pacto resumatur puluis superior alembici, & is qui in cucurbita hæsit, triturq; sublimis fiat, vt antehac consueuit. Et hoc ipsum scilicet puluerem alembici & materiam cucurbitæ inhærenté coniungere, leuigare & sublimare ad minimũ faciendum est decem & quinque vicibus, quibus retractare idem oportet. vel toties, quoties nihil amplius ex subiecta cucurbita in fastigium pilei impositi ascẽdat, tum demum enim labor is sublimationis sufficit. Peractis igitur hisce omnibus, vel quindecies repetitis, omnia ex cucur-

curbita & ex alembico educantur & quam diligentiſſime in marmore attenuētur, atq; cum marmore in cellam humidiorem transferantur, vt angulo vno decliui poſito, ſubiectoque vaſculo, diebus 14. maneant donec inde interea aqua clara defluat & oleum craſſum ſanguineũ marmori incumbat. Hoc oleum vitreo vaſe exceptum, aqua pluuiali ſuperinfuſa paululum concutiatur, facta reſidentia, aqua plulalis omnis effundatur recenti pluuiæ aqua affuſa, atq; rurſum effuſa, curandum, vt hoc pacto quinquies eluatur, donec abſoluatur & recte perficiatur. Id tanta cura reponendum, quãta balſamus incomparabilis poſſet. Hic enim eſt verus & vnicus balſamus, qui omnia vlcera depaſcentia & maligna, ſinuoſa, cancroſa, gallica & alia interne & externe funditus extirpat. Si huius olei quotidie gutta ſola deglutiatur, eliminat è corpore lepras, ſcabiem Hiſpanicam, febres,

apolexiam & epilepsiam, sanguinē mundificat & hominem ipsum ad pfectū vsq; sanitatis statū perducit. Pro hoc dono omnipotenti sit laus, honor & gratiarum actio sempiterna Amen.

Sublimatio salis Ammoniaci.

PRimum sumatur olla rudis, quæ repleatur sale communi, collocetur in terram, circumponantur vndiq; lateres, distantes dodrantem ab olla, quæ operculo sit tecta, ingerantur in cumulum vsq; desuper carbones, quibus in summo, prunæ tres aut 4. imponantur, ita vt omnia paulatim inde candeant, quod breui fit, omnibus iam ignitis, ipsaq; olla instar prunarum candente, nihil dematur, sed sponte deferueant cuncta & refrigerentur. In olla sublato operculo, salem deprehendes durum, qui appellatur sal igne excandefactus, qui paratur iuxta modum dictum, ideoque ad vsus asseruandus,

dus, cuius sæpius fit mentio & eius necessitas occurrit. Igitur accipe salis Ammoniaci ℔. j. contusi & per angustum cribrum transmissi, cui admisce scoriæ ferri contritæ (reperitur in officinis fabrorũ iuxta incudẽ inter malleãdũ decudẽs) & optime pmisceantur & compingãtur in vas cucurbitale Waldẽburgiacũ, superne lato & amplo orificio: huic aptũ iniice pileũ capacẽ, sed firmiter adhęrentẽ, naso satis procero pditũ, vas illud in catinum fornacis, cui instrata sit pollicis crassitudine arena cribrata, ita vt tota etiam cucurbita tali arena ad alembicum vsque tegatur, colloca, & sublimationem persequere, vbi nil amplius humidi, (guttulæ instar aquæ) in rostro obseruabis, illud continuo argilla probe obstrue, & cum regimine ignis vt supra ostensum est, sublimationem perfice, eo vsq; donec alembici summitas aliq̃d de feruore suo remittat, tunc spõte ignis extinguatur & reli-

qua refrigerentur: arenam circa vas scutella quadam aufer, & ex arena cucurbitam detrahe, lutum vero & pileum depone, in eo reperies sublimationem salis Ammoniaci, quem vbi in chartam mundam conieceris, & reliquum quoque quod circa supernas partes bociæ hæserit, deterseris, coniungatur cum priore sale, ferri vero scoriam in fundo bociæ restitantem eiice, nullius enim est vsus amplius. Coniectis igitur denuo in mortarium salis sublimati reliquiis, minutissime conterantur, hinc coniice in vas cucurbitale aptato alembico conueniente, & luto bene firmato, iterum catino superiori committãtur, stude quo sal iterum in pilei sublimitatem pertingat, quem extractum ex alembico & ex cucurbitæ superiori parte, atque etiam quod adhæserit commisce, & rursum adde salis recenter candefacti ℥. XII. sed contriti: (salis vero residuum circa fundum cucurbi-

bitæ inutile eſt proiiciẽdum) igitur ambobus in cucurbitam rurſum repoſitis, affixa probe ſua galea, iterũ ſublimatio fiat ſalis Armoniaci, à ſale communi candefacto. & iſta ſublimatio cum ſale recenti fuſo, minimum 5 vel 7. operationibus reiterãda erit, quo ad ſalis Armoniaci ſublimatio ſit abſoluta, ad varias cũ illo ſublimationes perficiendas. Sal ammoniacus arte fit ex vrina hominũ, præparatus vero, vt dictum eſt, balſamus eſt præſtantiſſimus, qui corpus tuetur à variis morbis, firmumq; & vegetum, & à putredine cõſeruat, de quo ſolo integrum volumen cõſcribi poſſet. ſed parum de virtutibus illius breuitatis ergo referam.

Febrium omnium ſpeciei cõfert, quacunq; appellatione veniant. aſſumptum accipe illius ſalis armen. qui in alembici ſummitate quam ſubtiliſſimus reperitur, grana 7. duo bus cochlearib. vini vel cereuiſiæ cũ butyro immittatur, vt liqueſcat, de- *Vires Salis Ammoniaci ſublimati.*

cumbenti ꝓpinetur vt sudet: ab vsu medicamẽti huius si febris prima vice statim nõ relinqt, exhibeatur secunda, tũ recedet nõ reuersura. Validiori homini porrigẽda sunt grana 7. vel 9. debiliori 5. puero 3. cũ cereuisia calefacta, neq; extat remedium pstantius ad vẽtriculi deiectã appetentiã, & nauseã omniũ esculentorũ vel ẽt in vomitu: sic affectis ad modũ pscriptũ dieb. 9. continuis sal Armoniacus exhibitus, vt paulo post insudet aliquãdiu æger, ventriculũ calefacit corpus vegetũ reddit, tantãq; cibi cupiditatem ingenerat vt vix ad satietatẽ sese cibo quis explere posse credat. Sal Ammoniacus hoc modo præparatus, pixide lignea reponitur loco calido & sicco, ne diffluat & in aquam vertatur. Ex hoc sale aquam educes in sequentem modum. Tabulę marmoreæ quadratæ & politæ satis amplæ, circunda ad margines 4. ceram, crassitie digiti dimidiati, idque efficies per aquam feruentem sed

Aqua salis Ammoniaci

ſedoportet vt angulo cuidã liberum relinquatur ſpaciũ ſine cera affixa, pollicis amplitudine, tabula iſthęc collocetur in cellam humidiorẽ, vt verſus ſpacium illud quod à cera intactum eſt, decliuis propendeat paululum, huic tabulæ ſpacio, ſubmiſſo primũ vaſculo vitreo, mox ſuper tabulã ſal Ammoniacus quinquies vel ſepties ſublimatus iniiciatur & attenuetur in puluerẽ ſubtiliſſimũ tenuiter hinc inde ſupra marmor ſpargẽdum, dieb. 14. vel 20, ſic omnis ſal redigetur in aquam puram & lympidã. Hæc aqua ſumma diligentia cuſtodienda, obſtructo vaſorum orificio, ſi quid ſordium in cella acceſſerit, ſeparabis. ſi per mundum goſſypium tranſmittatur in aliud vaſculum vitreum, poſteaq; deſuper veſica orificium conſtringendum.

Et ſic habes ſalẽ Armoniacum, forma aquæ pellucidæ & puræ, repræſentantem balſamum verum hominis, viribus iiſdẽ pollentib. quib. ſal

armeniacus ipse. Ita licebit permiscere huius aquæ guttas 7. vel 9. cum cereuisia calente potandas, vt supra explicatum Huius aquæ guttæ 2. vel 3. destillatis aquis quibusuis additæ, vel etiam succis herbarum, cõseruat illas in vigore diutissime. Conuenit hæc aqua dolorib. articulorum, nimirum sumẽdo aquæ salis armoniaci cochlear vnum b. p. aceti tantundem misceatur, & calefiant paululũ iniectisq; linteolis foueãtur dolẽtes partes arthriticorũ, subito dolores sedantur. Neq; vulnerib. detergẽdis medicamentũ est præstantius, si tribus cochlearib. aquæ chelidoniæ ꝑmisceatur cochlear j. aquę salis arm. pro lauacro vulnerum & vlcerũ malignorum, sanationes promouet, carnes producit, excrescentias consumit in vulneribus, vt & vermes, prę-seruat à fœtore & aliis malis.

Vires aquæ salis Armoniaci.

Fixatio Arsenici.

IStud vt & superiora, venena sunt atrocia, maxime Arsenicum non

præ-

præparatum, vehemens & exitiale venenum eſt, vt vel equum aurei 1. pondere minimum horarum 3. ſpacio haurientem extinguat hoc ipſo crudo & non arte parato necatur murium omne genus, & quodque animalium, ſi modo 2. vel 3. grana deuorarit, mortem non effugit breui ſpacio, præ virulentia & perieuli extremi vehementia. Eſt autem nil aliud quam vapor venenoſus metallorum ſeu fumus qui crudus & non alteratus, ſummum & atrociſſimum venenum eſt, etiam omnium rerum tam homini quam brutis, herbis, arboribus & fruticibus extreme peſtilens, quandoquidem fumo iſto interire cogantur. Quod ſi arte præparetur, venenum nullum eſt amplius, ſed medicamentũ ſalubre & innoxium, verusq; Balſamus, de quo ſi ℔. 1. equo poſſet deuoranda dari ſine periculo conſeruaretur incolumis. Multum igitur in præparandi ratione ſitum eſt, perinde vt

& in re cibaria, vix quicquam salutare sine recto illius apparatu esse consueuit: quis etenim piscium crudorum non percoctorum esum innoxium sustinebit? ita in re medica, nihil sine artificiosa præparatione vsurpandum: Dei benignitate factum est, vt homo bonorum & malorum potestatem habeat, vt prauũ à bono segregando, hoc eligat, illud longissime deuitet. Nihil enim in tota rerum vniuersitate tam est malignum & prauum, quin in se cõtineat quoq; aliquid vtilitatis & cõmodi occultatum. Serpentes & bufones abominandæ sunt bestiæ, vt etiam aspectus horrorem & nauseam

Viperæ vsus in Theriaca. excitet. Quod si viperę (hoc nomen est serpentis, cuius in Theriaca vsus est) venenum, capitis detruncatione & caudæ, auferatur, excoriatione & exenteratione reiiciatur, caro vero instar anguillarũ coquatur, herbisq; olentibus & aliis quampluribus permisceatur, præstantissima & lau-

& laudatiſſima Theriaca inde concinnatur, vt iã vipera nõ amplius venenũ ſed egregiũ aduerſus venenoſa quæuis alexipharmacum exiſtat, atque in compoſitione Theriaces caro viperina baſin obtineat. Vnde ſi Theriacalis antidotus exhibeatur homini veneno infecto, beneficio carnis viperinæ, q̃ omnẽ verã Theriacæ confectionẽ ingreditur, venenũ omne à corde, à cerebro, à iecore, (hæc enim tria viſcera à venenis maxime afficiuntur) potentiſſime ad ſe pertrahet, veluti à Magnete ferrum: reliqua autem quæ Theriacæ adiecta ſunt, venenum illud ſuperant, extinguunt & cum ſudore expellunt. Serpentum lingua arefacta, nudoque impoſita pectori, venenum omne à corde allicit: & ſi apoſtema aliquod circa cor innatum eſſet, illud aperit, & manifeſte à corde virus euellit, vt venenum ipſum roris ſpecie linguæ adhærens cõſpiciatur, quod vbi deterſum fuerit, *Lingua serpentum.*

fuerit,lingua rursum cordi admo-
Exuuia serp. uenda. Exuuiæ serpentinæ quæ ca-
su repcriuntur, si prægnantibus cir-
cumdentur vteri facilem & celeré
Bufones. partum promouent ac sine dolore.
Bufones vero vbi baculo ex corylo
per caput transfixeris & in aëre are-
feceris, atq; inde puluerem confe-
ce:is, præstantissimum erit remedi·
um, panno rubro ex serico inclusum
& vulneribus meningum admotũ,
ita enim delirantes restituere credi·
tur: eodemq; mͦodo apostemati pe-
stilenti impositus, bufo integer are·
factus, syndone inuolutus, virus o-
mne euellit, quo veneno expleto a-
lium alligari cures. Præterea si ad
℔. 1. olei igne feruentis & fere bul-
lientis Rubetam vnam vel alteram
immerseris, donec inter coquen·
dum emoriatur, oleumq; paulatim
decapuletur & asseruatum vsur-
pare volueris, eo sanabis lepras, pso·
ram & Elephantiasin l ilinendo. Ni-
hil itaq; natura rerum produxit tam
pesti-

pestilens & venenatum, quin simul in eo occultarit aliquid pretiosi & salutaris : vt solum id intersit quo pacto noxium à salutari segregetur. Ita & in Arsenico sese res habet, ꝙ ex arte præparatum & elaboratum, optimum & summum est remedium omnibus vlceribus, fistulis, cancris, lepræ, phagadænis, cruribus elephanticis & gallicis: imo nullum est inter omnia septica putridis vlceribus Arsenico accomodatius: Sed necesse est vt artificiosa præparatione venenositas omnis illi auferatur, hoc modo.

Arsenici sublimationi non est opus intentum esse, cum venale reperiatur apud aromatarios, iam sublimatione elaboratum : quam si chymice paraturus sis, sub dio vel camino satis amplo, aggredere, quo halitus & fumus omnis sine noxa educatur.

Igitur Arsenici in puluerem cōminuti ℥. 10. adde Nitri ℥. 8. eodem

pacto puluerisati indãtur catino fusorio satis capaci, supposita tegula dimidiata: circa catillũ vero spacio vnius palmæ, lateres coctos crassiores, instar fornacis circũpone, vt altitudo lapidum catinum exæquet, in ectisq; carbonibus circa catinum vsq; ad summum, ne tamẽ carbones in catinum decidant cauendũ, deinde prunas 2. impone carbonibus & recede, hoc gradu caloris, ignis horis 12. fouendus: nec quicquam tibi à veneno periculi metuendum amplius, cum venenositas statim inter initia soleat euanescere. Vbi iam horis 12. igne sic Arsenicum funditur, pala (vel pyragra) catinũ ex igne submoue, & effunde Arsenicum in laminam ferream aut ęneam, frigefactum contusumq; minutim cum pari nitri quantitate purissimi permisce, iterum reddatur catino emundato, incumbenti super laterem dimidiatum, foco sic vt dictum extructo ex carbonibus, excitatoq;

tatoq; prunis candentibus binis desuper iniectis, ad horæ partem octauam te subducas, postea ignem carbonibus auge, (tum enim adesse licebit operi, adempta namque est iam venenositas omnis) detineatur per horas 12. in igne eodem, fundatur in laminam cupream vt refrigescat, atque comminutum insterne tabulæ lapideæ, cera circumseptæ & in cella locatæ ad alterutrum tabulæ angulum decliuem, vasculum vitreum apponatur, in quod aqua è lapide ex materia instrata defluat, quā, vt & illam quæ incumbit lapidi, include iterum bociæ retortæ cum suo alembico, luto studiose sigillato, catino arenario dein imponendæ, submisso etiam vase recipiente, coniuncturæ optime muniendæ sunt luto, curandum vt sponte exsiccentur omnia, tū igne horis 12. remisso primum, tandē intensissimo horis aliis 12. stillationes

vrge

vrge, vt Retorta tota instar prunarum excandeat, hoc peracto quiescendum, donec sponte infrigidentur omnia, mox luto emollito circa commissuras alembici & receptaculi, aquam ex receptaculo in vas vitreum mundum repone, cum cura asseruandum, est enim Balsamus Arsenici: quo ipso omnia vlcera depascentia cancrosa fistulosa, phagedęnia & lepram funditus extirpabis & sine dolore curabis, quæ alias insanabilia habebantur. Ideoq; magni faciendum & vt res preciosa æstimanda venit, ob quam DEO reddendæ gratiæ & proximo inseruiendum. Contingit & alios multos tā summos, quam infimos, ex intolerabili dictorum vlcerum doloribus vitam finire, quibus neq; à Medicis Chirurgis balneatoribus aut pharmacopœis remedia adhiberi potuerunt: Itaq; balsamus iste tam preciosus optime custodiendus. Reliquiæ in fundo bociæ remanentes,

proiicendæ, nullius enim vsus sunt in medicina. Iam ipse tibi perpendendam operationem & præparationem relinquo, miraberis DEI Opt. Max. clementiam & bonitatem qui tam salutaria, cum materia tam venenata copularit, quiq; tã rudia, & indigesta hominis studio discernenda & digerenda concessit. Quid enim Arsenicum aliud nisi fumus fodinarum ex metallis qui ignem nullo pacto sustinet, qui vbi paululum saltem incaluit, effumat, & fugatur? iam vero elaboratione eo deductus est, vt igni resistat, minimumq; fumi speciei exhalet: Spirituosus erat, iam terreus redditus: crudus venenum fuerat pestilentissimum, iam salubris præstantissimus & preciosus factus est Balsamus.

Alia ratio præparandi Arsenicum per Reuerberationis ignem.

VT virus illi extrahatur, & medi-

camentum fiat præclarum, necesse est, vt in promptu habeas fornacem reuerberii, quæ hoc pacto extruenda, sub camino satis spacioso, foco lapidibus concinne strato, parieti iungantur lateres duo murarii scamno incumbentes, quos luto coniunges, mox ad parietes singulos, ex ordine 4. lateres colloca, anterius vero laterem vtrinq; dimidiatum luto etiam obductum, sic in medio existet ostium, ex quo cineres detrahendi veniunt. Posterius vero lateribus transuersim 9. ferreos baculos à fabro in triangularem formam deductos impone, quorum quilibet habeat crassitiem vnius digiti: sed super lateres 2. postremos versus latera, inter ferreos baculos singulos, lapillum repone atq; luto oblinantur, ne inuicem ferrum collidatur, posthæc à baculis istis ferreis, latiores baculos ferreos sed tenues ad anteriora colloca, quibus insterne tegulas latas, & vndiq; luto bene in-

cru-

cruſtatas, vt inſtar pauimenti fiat: poſtea ab interiore parte verſus anteriorē iterū lateres alios ponas ex ordine, ꝓbe illutatos, dimittens pronū foramē aliud, ꝑ longitudine lateris vnius, ꝑ quod ligna in fornacē crati iniici poſſunt, his factis rurſum latos alios ferri baculos à crate incipientes ad latera vſq; poſteriora inſere, q tegulis recte veſtiantur, ſupra cratē vero pateat ſpatiū: mox iterū lateres vtrinq; impone alterū alteri, ſecundū longitudinē, à poſteriorib⁹ ad anteriora vſq;, vbi in medio foramē relinquēdū, amplitudine lateris transuerſi, omnib⁹ ꝓbe lutatis. Demū ſupra lateres omnes, ferreos latiores baculos alios impone, ſingulos duos digitos trāsuerſos habētes latitudine ſua, vſq; ad ferreos baculos anterioris partis: his rurſum lateres plures ſecundū latitudinē iniice arcte cōiunctos, luto bene cōnexos & tectos, & in hunc modum furnū Reuerberii multiplex conſtruxeris, cuius eſſe vſus ſolet. Quod ſi fir-

miorem fornacem exoptes, ne quid caloris subterfugiat, lateres alios sibi inuicem iunctos, foris parietibus communi luto contectos, super priores inducas.

Huic fornaci in anteriori parte tria sunt patentia ostiola: Infimum subseruit cineri extrahendo, medium ad focum lignis struendum supra craticulam facit: supremum vero, vt velut in pauimentum ab ostiolo incipiendo, varia reponi & insterni possint, vsq; ad craticulæ posteriora.

Vbi autē reuerberatione opus est, ligna secta esse oportet, vt dimidiam vlnam non excedant, bene prius siccata & fissa, quorum aliquot segmenta iniice & succende, mox videbis flammam omnem per supremum ostium erumpentem, ita vt quicquid pauimento secundo, per tertium illud foramen seu ostiolum imponatur, flamma prorsus tegat & lambat, quodque tali viua flamma vritur,

vritur, illud reuerberari dicitur, cũ ignis flammæ multa edoment, subtilient atq; attenuent, multaque in puluerem cineresque comburant. Quisquis igitur in hac arte Chymica præclari quid effecturus est, fornace reuerberatoria carere non potest, cui subinde aliquem assidere oportet qui ligna ingerat, ne flamma ad præscriptum vsq; tempus deficiat, quo neq; ligna neq; flammæ gradus remittantur, cum alioquin omnes sumptus & opera frustrà impenderentur.

Reuerberatio Arsenici.


R. Arsenici ℥. 10. calcis ℥. 4. quæ est instar arenæ aurei coloris, calcis viuæ ℥. 15. omnia exiliter comminuantur & commisceantur, iniiciantur pauimento furni, per foramen illud supremum, altitudine pollicis: mox per medium præfurnium immittantur ligna supra craticulam, quibus accensis, flam-

ma excitetur, ſine intermiſſione li-
gnis ignem fouendo validiſſimum,
horis continuis 24. tum refrige-
ratis ſponte, Arſenicum habebis in
ſummitate vitri modo fuſum, hoc
collecto omni, & in mortario con-
tuſum, vitreæ ampullæ indatur, quæ
in cellam ſubterraneam translata,
exhibebit balſamum, vlceribus
& vulneribus peſſimis laudatiſſi-
mum.

Vltimo ſummo ſtudio notabis,
Arſenicũ crudũ, rem eſſe expertiſſi-
mam ad præſeruandum à peſte,
modo ſequenti præparatum & ge-
ſtatum. ℞. Arſenici albi Cryſtallini
℥. 2. rubri ℥. 1. contritis his cum al-
bumine oui vel cum Tragacantha
fiant tabellæ, quæ inuolutæ mundis
linteolis, & rubra ſyndone cooper-
tæ, cordis regioni apponãtur vel al-
ligentur, vt ibidem circumferantur
aſſiduo, prohibebit omnem vene-
norum noxam.

Balſamus Auripigmenti.

R. Arſenici ℥. 5. fuliginis tedarum ℥. ß. Salis Ammonii ℥. 3. omnia redigantur in tenuiſſimum puluerem, indanturq; pyxidi, vt in margine annotatur, quibus ſcilicet alias butyrum recondi ſolet, quam impone pauimento ſecundo furni reuerberationis, ſubmitte ignem flammeũ ſine remiſſione, vt continenter flammæ horis 24. pyxidem ſuperent & feriant. De-



miſſis poſtea ad refrigerationem mox extractis, fiat inde puluis, quẽ contritum & affuſa aqua pura calente tabulæ mundæ inijce & optime permiſce, cura vt reſideat & filtrum penitret, toties laborem iſtum renouato, donec nihil amplius ſalis in affuſa aqua ſentias: aquas vero per filtrum

traiectas, in catino coniunctas, coque igne lento ad conſumptionem ſic in fundo extabit ſal, qui eſt Balſamus Auripigmenti, hic collectus fit vnguentũ in ſequetẽ modũ, nimirũ vbi ſalis huius pondus 5. aureorum vngar. ſumas illiq; vna ex fimo columbino cinerẽ vſtione præparatum, miſceas & cum oleo ouorum in vnguenti formam redigas, hoc ipſo cancros curabis, remedio probatiſſimo.

Sublimatio arrgenti vini.

R. Vitrioli vngarici ℔.1. ſalis ℥.10. contundantur & in catinũ maiorem ad ignem remiſſum, cum cõtinua agitatione transferantur, vbi liqueſcent inſtar aquæ omnia: quo facto ſume argenti viui ℔. 1. quod paulatim immittatur, vel ponatur Mercurius in telam goſſypinam & cum fili craſſioris conſtrictione exprime paulatim in catinum, continenter mouendo, donec integra ℔. Mer-

Mercurii sit ingesta, illudque non amplius in catino dignoscas, & omnia intra catinum incipiant resiccari, tum remoto ab igne catino, relinquatur per noctem in loco sicco die sequenti. & ex catino cultro abradas contenta. Si adhuc aliquid argenti viui obseruaueris, parum vna vice è catino eximendum, & proiectum in marmor, irrigetur pauxilla vrina, tamq; diu atteratur, vt nil amplius Mercurii cernatur: & ita tibi res peragenda cum omni illo, quod adhuc in catino reliquum est, terẽdo irrorandoque, donec nil amplius Mercurii dignoscatur, tumque è catino sumptum, & supra marmor in exilissimum puluerem agitatum, includatur cucurbitæ ex terra VVal denburgica factę, ita vt fundum altitudine pollicis transuersi obtegas, iniecto insuper apto alembico, quẽ luto Hermetico probe agglutinare debes. Alembicus autem naso breuiori constet, qui digitum nõ exce-

dat longitudine. Hãc igitur cucurbi tã cũ pileo, inde catino arenario, cui nimirũ instrata sit arena, ea crassitu qua obtusa pars cultri esse solet, fo rinsecus vero bocia ad summum vsq cribrata arena bene sicca tota sepeli enda est fornacẽ carbonib. replebis, deinde horis sex ignẽ remissũ excita bis, ad nasũ vero pilei vasculũ sit an nexũ, quo humiditatẽ effluentẽ primũ excipiat elapsis horis sex vasculo ab lato, admoue aliquãdiu orificio na si alembicarii laminam ferreã, in qua si humiditatem quandam depræhẽ das, diutius ignis ille remissus fouea tur: vbi vero contrarium euenerit, la minam illam rostri seu nasi extremo luto connecte totam, & tum singulis horis 6. ignem validiorem auge, vt tãdem catinus spatio dimidiæ horæ instar prunarum totus candeat, tũc demum ex sese refrigerentur omnia sibiq; horis 24. derelinquantur: post quæ paulatim catinum erue ex are na, lutũ à cucurbita excute, quisqui-

lias vero & sordes adhærẽtes ab alẽbico & bocia pede leporino deterge, atq; cuburbitã in chartã mũdã collo ca supra patinã vbi omnia cãdorẽ ac quisiuerint niuis, recta est & bona operatio, diciturq; Mercuriꝰ sublimatus vbi vero in colore & cãdore niuis æmulo quicq̃ deerit, & vel glaucus appareat color, aut aliq̃ adhuc insit argẽti viui, repetẽda est talis sublimatio, cape denuo ℔ j. vitrioli vngarici salis crudi ℥. x. fundatur in catino, q̃ vero ex collo bociæ & galea fuerit, abrasum, tere in lapide, vt puluis fiat subtilissimus, quẽ ꝑportiones paruas immitte catino, at vitriolũ iã fusum agitatione cõtinua, donec totus puluis sit intritus vt nihil illius animaduertatur materiæ vel q̃ in catino fuerat. Iam ablatum ab igne catinum, ꝑ noctem loco tepido (qualis est hypocausti) reponas, vbi illuxerit fac ex illo puluerem contritione, quod in prima sublimatione in fundo bociæ derelictum est id abiiciendum

cum

cum nullius sit vsus, bocia si adhuc fuerit salua, redde illi pulverem & procura sublimationem secunda vice vt prius cum omnibus obseruationibus, optimum enim est medium ad fucos faciei & candorẽ cutis: vbi vero albedo non respondeat voto (oportet enim candorem pulueris superare niuem & colore & splendore) toties cum vitriolo recẽti & sale fuso sublimandus est, donec prorsus niueus color arrideat, ita enim perfectum est sublimatum & ad fucos vsurpatur, hoc modo.

Accipe ℥. 2. succi limonum, aquæ Rosar. ℥. 2. Mercurii huius sublimati pondus aurei vnius & dimidii, cerussæ tãtundem, quæ cum butyro recenti plus trigesies aqua pura abluto permisceatur vt fiat linimentum, quo parum inũgas faciem dormiturus, elapsa hora, faciem ablue aqua florum fabarum, quæ induet albedinem niueam. De fucanda facie possem integrum libellum conscri-

ſcribere,ſed ex optimis annotabo v-
num atq; alterum fucandi modum.
1.℞.Oryzæ ℔.j.elue aqua ad mundi
tiem,exſiccetur aliquantum, infun-
de lacti caprino, horis 12. transfuſo
lacte,affundatur recens lac,qua qui-
infuſione &permutatione dieb. 10.
perſeuerandum,tandem lacte effu-
ſo,duas columbas albi coloris, bene
mundatas exenteratas &conciſas in
minutas partes,adde oryzæ, quibus
inſuper etiam iunge caſeos bouillos
2.recentiſſimos, eo die factos, quos
eodem modo incides, lauabis duo-
decies aqua fluminis: præterea con-
charum margaritiferarum& pulue-
riſatarum, ℥. 2. affunde ſucci Limo
num ℥.3. qui redigent illas in formã
pultis,poſtea etiam oryzæ ſuperiori
aſſociabis, mellis puriſſimi, tere-
binth.claræ ana ℥.4. omnia laborio-
ſe commiſceantur & demum addan
tur florum fabarum m.4.quę omnia
miſſa in cucurbitam cum ſuo tegu-
mento roſtrato, atque per balneum
ma-

maris cũ vasculo naso propẽdẽti agglutinato, destillẽtur in aquã pellucidã. In qua si albumina 2. bene concussa instar aquei liquoris & perspõgiam expressa, vase optime obturato ad Solis radios exposueris, perfecta erit aqua ad vsum. Iam sumeeam aut lolium (an nigellam) ruditer contritum, affusa aqua fluuiatili, aliquantisper coquatur & refrigeretur, cum qua faciem mundabis, & linteis mũdissimis exsiccabis, quo facto inungere debes linimento sequẽti, quod ad hunc modum parandum fuerit.

℞. sacchari canariensis, ℥. j. Amyli albi, optime triti ℥. ß. ex quo cum lacte caprino linimentum effice tenue subliquidum, quo illito faciei cum lectum petes eam conteges linteis mundissimis, ne puluerulenti quid faciem sordidet, mane faciem iterum elues, aqua ex floribus fabarum parata, & denuo exsicca, tandem syndonem mundiss. integes in aquam supra scriptam, qua bene

ma

madefacta, irriga totam faciem, interea peniculo, vel ventilabro excita ventulum ad faciem vt melius faciei pellis smegma imbibat, idq; repetes bis terue vt facies vento exsiccetur: ventilatione facta versus faciem. Lotionem istam, vbi per octiduum curabis niueam acquires cuticulam, magnumq; in vultu & manibus nitorem. Et talis aqua sine omni periculo & noxa quotidiano vsu familiaris esse potest, cum ne minimum quidem rei periculosæ adiungatur.

Alius fucus.

R. Farinæ fabarum, cicerum ana aureum j Gũmi Tragacanthę aũr. 2. radicum vitis albę aurei 1. ß. ex his fiat puluis, qui cũ albumine oui sæpius agitatus incorporetur, vt formã pultis acquirat, vnde efformẽtur trochisci nummi ternarii magnitudine, crassitiei cultelli in parte obtusa: exsiccentur. Vbi igitur faciei optaris colorẽ album & floridum, trochiscos hos aqua hordeacea macera

tos

tos, faciei obline, vt per horar. 2. ſpatium hæreant, dehinc aqua pura fur furum rurſum eluito, facies candida & rubida euadit.

Alius.

R. Margaritarum tritarum ſucco limonum vel citri reſoluantur plus euadet alba: octiduum in Solę apricetur mox aqua pura fluuialię lue, in fundo aliquid inſtar maſſę cã didæ remanebit, quam vbi vſurpaturus ſis, aquam ex teſtudinibus albis deſtillatam in promptu habeas oportet, qua margaritas macerabis vt pulticulæ formam habeant, quibus tenuiſſime faciem perungas, efficit tenerrimam & niueam pellem.

Alius fucus.

R. Butyri recenter ebutyrati, & aqua fluviatili munda centies eloti, vt prorſus niueum ſit, hoc noctu cubitum iturus faciem perunge, & illitum relinque in craſtinũ, quo linteo mundo abſterges, cutis pulchra & alba redditur.

Ex omnib. poſt ſublimatum mercurium nihil faciem coloris & nitoris gratia, plus commendat quam lac aſinæ, cuius cauſa Poppæa vxor Neronis Cæſaris, in comitatu itineris quingentas aſinas circumduxit, vt illarum lacte corpus totum lauaret, ſi Plinio fides adhibenda libr. 11. cap. 41.

Mercurius ſublimatus vt præſcriptũ eſt frequẽtiſſime ad faciei fucos adhibetur: ſed venenũ eſt abominãdum & atrociſſimum, nunquam ſine maximo periculo vſurpandum, quem ſi ad vſum medicum, vel ad vlcera, expetiueris, hoc pacto perficies ſublimatione vlteriore. ℞. Mercurii ſublimati candore niuem exprimentis ℔. j. ſalis igne fuſi ℔. 2. lapide tere in modum pulueris ſubtiliſſimi, quem coniice in cucurbitam cum galea, bene luto artificis connexa, atq; per catinum arena obrutum, vt ſupra expoſitum eſt ſublima tionem inſtitue: mox dempta galea

& exempta sublimationis materia,è galea & cucurbitæ collo, adde huic denuo salis excandefacti ℔.ij. & beneficio lapidis in puluerem comminuendi (feces vero in fundo cucurbitæ hærentes reiectaneæ sunt) qui rursum retortæ ingerendus.modo integra superſit,atq; secundo sublimatio repetatur & talis sublimatio ad minimũ ter instituí debet subinde sale eodẽ recẽter adiecto ita tãdẽ Mercurius sublimatus euadet elegãtissimus candidus,tenuis & fere pellucidus,qui ex galea imposita & superiorib.bociæ partib.corradendus imponendusq; marmori. mox atterendus,vt pulueris tenuissimi speciẽ nanciscatur ex quo oleum parandũ in modum sequẽtem,vlcerib.solum incurabilib.destinatũ.Sume laminã ferreã stanno incrustatam (quarum alias vsus est ad laternas) vna ex parte cera obducẽdam ,quod fiet si fragmẽtum cerę assiduo affrices,vt vndiq; tanquã pelliculã tenuẽ ex ouo
in-

instratã referat mox vndiq; in ambitu cerã crassitudine culmi straminei impones, q̃ aqua calente liquidiorẽ & tenacius hęrentẽ reddes, sed vno angulo relictoadspatiũ 2.digitorũ cera intacto:infer cellæ humidæ, vt in angulũ liberũ decliuis lamina ponatur,quo loco vas quoddã vitreũ subiicies puluerem vero contritum tenuiter insterne,dieb.5.in cella relinquẽdo , oleũ hydrargyri egregium in vase excipies, quod cum custodia reponendum.

Omnia vlcera,exedentia, serpentina, fistulosa , cancrosa , & vtcunque quis nominarit,quæ omnem aliam curationem respuunt , sed cum dolore erodunt & depascuntur , illa oleo hocce sunt imbuenda, nimirum vt linteola oleo isto madefacta vlceri phagedœnico& cacoëthi imponantur , in quo horis 24. dimittãtur,detecto vlcere, videbis omnia putrida & virulenta esse consumpta , linteum auferatur , & quia

vlceri optimum ad curationem initium & aditum fecit deterſione ſua, igitur vulnerario & epulotico balſamo vel emblaſtro vſitato ad cicatricem perducit.

FINIS

LIBRI PRIMI.

DECLARATIO RERVM QVARVNDAM SVPERIORE Libro comprehensarum, tradita ab Andrea Libauio, Med. D.

CAPVT I.

De Titulo libri.



AVTOR libro titulum fecit Tractatus Chymistarum, de Destillationib. & Extractionibus, hoc est, Instructio Chymica seu Encheria Alchymiæ quomodo destillationi opera danda, & ex ipsis rebus mixtis internas rerum essentias artificiose extrahere liceat, ostendens duplicem methodum, quarum prima est, per quam aquæ stillatitiæ & olea vel alia eius generis sunt separanda & elicienda: Altera qua speciatim extractiones succorum fi-

ant. Verum generalius dicendo, hęc sese methodus latissime extendit, cum etiam sub ea intelligantur destillationes & sublimationes ac alia eius generis plura quibus subtiliora à crassis separantur.

Cum igitur maxima pars totius chymicæ ἐνχειρήσεως sub illa compræhendatur, inscriptio illa pro titulo suffecerit, sub quo etiam facile similia intelliguntur.

Autor ipse modo appellat separationem, in qua terreum & corpulentum crassumq; à spirituoso & puro segregatur, vnde & Alchemia ipsa ars quædam separationis, vel spagirica appellatur. de qua vlterius in Alchemia mea anno 1597. latine edita, in epistolis chymicis, in commentariis variis (& aliis etiam mox edendis) actum. Germanis nostris vulgo iam notum est, naturam (à qua artifex chymiæ progressum facit) pura impuris, subtilia crassis miscuisse: crassum illud dicitur corpus ele-

elementare, & post separationem factam, feces, caput mortuum, &c. quod in illo virium superesse amplius credatur nihil: Subtilior vero pars, in qua omnis vis medica & arcanę virtutes latent, assimilatur corporibus cælestibus, & ideo etiam quinta essentia, astrum, &c. nuncupatur, quamuis vnum altero sit subtilius, pro vt arte & labore conuenienter exaltatum fuerit. Ita quidem & ipsius naturæ beneficio multa reperiuntur, quæ ipsa sunt depurata & separata, quæ artis adminiculo non egent, nisi animus sit illis nouam & externam formam inducere, resolutione, coagulatione, & aliis eiusmodi exercitiis. Perinde & in ipsis arcanis gradus plures exaltationum sunt reconditi, qui pro vsu artificis & re nata dirigi possunt. Itaque quicquid exhibet chymicus sua industria, artificiose & fideliter elaboratum, vel magisterium sit necesse est, vel essentia pura, variis homi-

minum vsibus, maxime vero gloriæ & laudi Altissimi dicata.

Quæ vero hoc loco de rebus corporeis, elementaribus, astralibus & cælestibus traduntur, illud terminis artis huius (quæ sua ipsius scribendi proprietate quadam gaudet) includendum, nequaquam vero doctrinę physicæ aduersum esse credendum.

CAPVT II.

De instrumentis & vasis vitreis.

NOster autor illa solum produxit breuitatis causa instrumenta, quævulgo erant maxime nota & ad destillationes frequenti vsu familiaria, vt sic etiam incipientib. prodesset.

Non desunt tamen plurium vasorum & fornacum formæ in libris de herbis editis: maxima vero pars horum ob oculos ponetur in Commẽtariis meis Alchemię, quo se recipiet

piet qui his delectatur vel etiam artifices consulat. Plurima etiam noua exempla horum indies, experientia magistra, vel alia etiam occasione exigente inueniuntur. Non omnis fert omnia tellus, industrium artificem necesse est plures habere vias compendiosas, & plures nouisse formas. Artem ipsam ex instrumentorum numero & apparatu nõ agnosces, cum etiam sæpe viliori instrumento maxima perficiantur. Maximum tamen est compendium fornacum structura, quarũ qui sufficientem habet notitiam & ideã generalem, modo ipsum artificiũ norit, vnica fornace pluribus vsibus apta, contentus esse poterit, eamque in plures formas aptare facile sciet: Sed tamen in magnis officinis, assiduo vsu tritis, variis opus est formulis ad opera chymica. Cucurbitas, seu bocias q; attinet, illæ vt plurimum vitreæ aut argillaceæ sunt, quæ accomodatiores, etsi plures re- *Cucurbitæ.*

quirantur, cum igne vel exedantur, vel alias frangantur sæpius, fiunt tamen & aliæ ex metallis, vt plumbeę, ſtanneæ, æneæ ferreæ (quæ cum antimonio conflantur) & orychalceæ. Ex his ſtanneæ & ſtanno veſtitæ eatenus ferendæ ſunt, quatenus materia deſtillanda non repugnat, ferreæ plerunq; Mercurii laboribus dicantur, cupreæ ſolæ parum vtiles ſunt, vt & plumbeæ, notumq; eſt has ob impuritatem & mollitiem metalli contemni, de quibus alio in loco dictum eſt. Extant cucurbitarum variæ differentiæ, vſu & forma à ſe inuicem diſcrepantes appellationes ſortitæ. Minores vt plurimum cucurbitæ ſeparatoriæ, reliquæ deſtillatoria vaſa appellãtur, ampla vaſa, metretas, matratia vel matulas &c. nominant, quæ non tam ad deſtillationes, quam ad putrefactiones, digeſtiones & ſublimationes &c. faciunt, ſunt etiam nonnunquam pro receptaculis. Et horum omni-

omnium alia ſunt directa, alia flexa, alia fiſtuloſa, quædã ſimplicia, quædam duplicia, quædam incruſtata vel veſtita. Inuicem etiam ſuccedunt cupreæ veſicæ, cacabi vel caldaria, de his conſule commentarium chymicum. Duæ cucurbitæ ſibi inuicem incumbentes, loco Pelicani ſunt, in quibus putrefacimus digerimus, exaltamus (circulamus) quamuis illa tantum Pelicani nomine dignentur chymici, quæ ſunt vaſa exaltatoria ſeu circulatoria, quibus eſſentias extractas exaltamus & nobilitamus, vel in naturam fixam transferimus, vel etiam quandoque ſubtiliſſime ſeparamus, cum vſus eſſe multiplex poſſit. Phiolæ, geraniæ rectè dicuntur, vaſa collo procero aut fiſtulari, ſępe excedẽtes 3. vlnas, infra globoſa. Fiunt tamẽ & breuiora ac humiliora, maxime ad quintas eſſentias & arcana expetita, in q̃bus tamẽ etiã ſolutiones & liquores fiunt. In Magiſterio

perfecto lapidis, aptiſſima ſunt ad ſo
lutiones, coagulationes, fixationes
&c. maxime ad ſignaturam Hermeticam, loco oui philoſophici. Vbi
vero quintæ eſſentiæ deſiderantur,
etiam imponitur galea, ſed tum collum largius & laxius efficitur, vel cera circumdatur.

Rotertæ iis rebus excogitatæ
ſunt, quæ in altum ſuſtolli nequeunt, quæ grauis ſunt eſſentiæ, vt
metallicæ, v. g. cum ex Antimonio
ſublimato, lateribus, ſuccino &c. oleum vel etiam aquas Regias ex erodentibus parant, quamuis nil prohibeat aliis etiã vſibus accomodare:
optima etiã ſunt receptacula: Imo
& igni acri exponuntur, ſed hermetice prius luto veſtita, alias ad cinerem vel arenam accomodatiora.
Quin & per balneum Mariæ deſtillationibus conferunt, vt & circulationibus & digeſtionibus &c. Vbi
ſic duo vaſa pro circulatione ſibi inuicem oppoſita coniunguntur, vocatur

catur bocia contra bociam & fimo, vel balneo roris committitur. Vasa quædam sunt rostrata, quibus affiguntur vascula alia, vt vna opera destillatio & rectificatio ac circulatio perficiatur. Nonnulla prope collum peruia sunt foramine quodam, euentationis & nouæ repletionis gratia: ad quæ receptaculi loco fere adhibetur cucurbita, Retorta vel ampulla magna, pro varietate operationis.

Alembicorum quę ad cucurbitas destillatorias vel sublimatorias requiruntur, duo maxime sunt genera vsitata. Vnum rostratum seu fistulatum est, alterum cæcum, in quo nodus superior auulsus plerunque formam constituit, hæc forma ad sublimationes est necessaria, potissimum vbi bacillo sublimationis operatio est exploranda, vel dum intempestiue adhærentes particulæ decutiendæ. Ad sublimationem tamen etiam adhiberi potest alembicus

cus rostratus, sed rostrum breue & crassius esse solet, primo recipienti aptandum, deinde obturandum, duplex enim spiritus inde eruitur, humidus & siccus: humidiores receptaculis excipiũtur, si operæ pretium habeantur: sicciores vero intra alembicum & superiores bociç partes concrescunt. Variant etiam pro magnitudine. Extant & variæ formæ aliç, vt turritæ veteribus frequẽter vsurpatæ: Sunt Rotundæ: fistulatæ, è quarum medio exurgit canna, quæ sursum acta flexuoso sinu serpentum more, per refrigeratoria ducitur. Sunt etiam quæ gemminatas habent fistulas, vel vnam solum, quæ iuxta latera serpentina committuntur, alia per certa dolia aut vesicas diriguntur. Quandoq; etiam quidam alembici duplices sunt, dum sibi impositi duo vel plures reperiuntur. Inuicem quidam substituunt lebetes, vel ollas conuenientes. Loco alembici quandoq; ad-

admouetur ambulla, cucurbita aut vas recipiens amplum de quibus vt & aliis instrui potes in commentariis nostris hac de re editis. Situ etiã varietas esse solet, quo nonnunquam cucurbita cum alembico recta, modo in latus reclinatur.

Cap. III.

De Fornacibus.

OPeris autor meminit fornacis ad balneum, ad arenam, ad cineres, sed discrimen est, non fornacum sed solum mediorum quorundam, quæ in vna eademq; fornace adhiberi possunt, pro vt res & occasio suaserit. Seorsim autem describit fornacem quæ ad vesicam vel caldarium cum refrigeratoriis fistulis pertinet: hanc formam autor instrumentum cognominat: figurã expressit pagina 10. ( ) vsum vero illius ex opere ipso destillationis per-

percipies. Alia vero longe est ratio Balnei Roris, in quo & putrefactioni, digestioni & circulationi locus est, (vide pag. 13.) Fornacem vero Reuerberationis habes descriptam parte 2. fol. 119. Fornacem sublimationis à destillatione per arenam nil differre, patet ex pag. 103. Alias tamen reuerberatio etiam ad caminum, in foco communi, fieri potest, cuius dispositio eodem modo in parte secunda fol. 117. extat. fit & medio igni: vndiq; circundante flamma catinos & ampullas, ex quibus & cementationis exercitium noscitur vt specimen illius datur fol. 121. Destillatio veró quæ proprie per descensum nuncupatur, vt in oleis ex lignis declaratur fol. 17. & in oleo succini fol. 97. Sublimationis exemplum habetur in parte secunda de sulphure, vbi meminit autor Antimonii, sulphuris, salis Amon. Mercurii, vlteriorem explicationem ista hic non requirere videntur. Sed tamen

men quamplures differentias fornacum passim apud Herbarios depictas habes, velim tamen te etiam commentaria nostra chymica consulere. Autor ad captum incipientium hic sufficere dicitur, dum tradit præparationes ope putrefactionis & digestionis, nec non destillationes ascensorias, descensorias & per inclinationem. Item dum docet sublimationes, reuerberationes & cæmentationes, vt & modum rectificationum, circulationum, separationum, perinde vt per phiolas artificiose sit destillandum, vt soluendum, vt coagulandum, quæ omnia suis locis expressius habentur. Quod si in cæmentando etiã gradationes faciendas cupis, æq; hic instituí poteris. Nequaquam autem mens autoris illa est, vt totam artem chymicã tibi ob oculos sit positurus, cum omnibus magisteriis, sufficiat vt vna cum essentiis & extractis parandis reliquorum gustum

R me-

mediocrem habeas. Conueniens equidem esset, vt ratione methodi, arcana subtilioris operæ magisteria statim sequerentur, siquidem paulatim ab elementaribus faciendus esset progressus vsque ad summas & subtilissimas essentias ordine quodam: attamen methodo prudentiæ potius vti voluit, atque summatim ex Alchymia vtiliora solum generaliter perstringere decreuit, quæ si tibi non satisfecerunt, nec idoneum te ad mysteria Magisteriorum (in quibus vt plurimum de gammis & metallis res est!) quæ non tam artificiose & subtiliter quam obscure & tecte alias tradi solent, fecerint: Tu in horum subsidium aliorum etiam commentaria euoluere & officinas penetrare poteris, in quibus fornacum varias imagines & laborum modos reperies.

CAPVT IV.

De constructione ignis.

IGnem abditum & conclusum Alchymistæ tibi exponunt, qui de lapide verba faciunt. Alius vero & diuersus est ignis externus, est enim vaporosus, est flammeus, est carbonum, est alterius materiæ. Sic ignis alius est Reuerberans, alius circulans, alius inferne alius superne struitur. Intelligit autem autor solum ignem communem elementarem seu mundi, qui halitus est accensus, requisitus ad destillationes, sublimationes & cementationes. Cum vero non vbique ignis corporeus ad opera chymica admittatur, sed interdum solum calor aut calida euaporatio, quæ ignis vaporosus dicitur, ideo sub eo comprehenduntur etiam alii quiuis caloris modi, qui arte quadam excogitantur, vt ope calcis fimi, Solis &c. Vt plurimum omnis calor,

vel ignis in 4. gradus diuiditur, quorum singulis suæ rursus partes sunt, vtpote principium, status & remissio, sunque gradus hi ad iudicium tactus satis perceptibiles & discreti. Primus gradus tactu tolerabilis & mitis, secundus validus quidem sed adhuc ferendus: tertius cum dolore, quartus cum destructione coniunctus, qui consumit, & in cinerem vertit. Artificibus etiam consuetum est hos gradus mediis quibusdam notos reddere, primum similitudine balnei aut fimi calentis, secundum cineris, tertium arenæ, quartum ipsius ignis actuali feruore & deflagratione. Sed hæc ratio non simpliciter intelligenda est. Licet enim & primum gradum in cinere cognoscere, & secundum quoq; in balneo. Tutius igitur sensuum adminiculo diiudicabis, tactus & oculorum, deinde ratione conditionis materiæ & resistentiæ rei, cuius ope chymicum negotium peractu-

Primus dicatur in quo sensus dominatur.

Sensibus æquè o gaudet natura secundo.

Tertius excedit cuius tolerantia lædit.

Destructo sensu nescit procedere quartus.

rus

rus es, fieri enim poteſt, vt in materia admodũ ſubtili, vel balnei calor nimius ſit & q. inflammet, conſideranda etiam eſt materia ignis, an lignum, ſtipula, oleum, pix, ſeuum, carbones &c. perinde vt inſtrumenta ſecundum formam, craſſitiem, lutationes, folles, tempora anni, tempeſtates, officinas & ſimilia alia, quæ ſingula artis exercitio & diligenti meditatione addiſcuntur. Non infima ars eſt apud Metallarios, ignem nouiſſe recte tractare. Conſtituuntur enim gradus ignis, ſiue in balneo ſit, ſiue in cinere, arena aut flamma nuda (vnde facile perſpicis, non ſemper cinerem ſecundum, neque arenam tertium gradum deſignare) ſed pro materiæ combuſtibilis ſeu accenſibilis, tam copia quam natura: alius enim eſt ignis gradus ex flammante ellychnio, alius lampadis, alius prunarum teneriorum, alius duriorum: alius

etiam ligni aridi &c. & pro vt is vel largius vel parcius subministratur.

Augetur etiam gradus ignis pro ventorum aut follium vi, cuius gratia in fornacibus extructis ventilabra quædam constituuntur, infra nimirum sub craticula, & quæ supra vel ad latera pro gradibus ignis regentis existunt. Quibus fornacibus follium est vsus, satis est notum, quo pacto inserantur & dirigantur ad ignem, cuius proportio requiritur: quo fornax est patentior, eo ignis fit luculentior & validior, quo vero obscurior, eo fit mitior: vnde quandoq; fornax obstruitur, relicta saltem ad dimidias spiraculi alicuius apertura, qui primus est gradus & quasi initium: deinde totum spiraculum relaxatur, & diriguntur gradus per horas 1. 2. 6. &c. pro vt ipsa rei elaborandæ conditio requirere videtur, ad illos

illos gradus autem per ſpiracula conſeruandos, fere ſubinde ſuffiçiuntur fomenta carbonum, niſi in furno acceſiæ, in quo prunæ vltro ſequuntur.

Sciendum autem eſt, non ſemper quatuor illa requiri ventilabra in fornacibus, ſufficiunt interdum duo tantum, ſed ampliora, quæ inter initia ex dimidia parte ſolum deteguntur vbi quatuor requirũtur, eo anguſtiora eſſe ſolent, ex quibus vnum integre aperitur, quamuis & in his autor ſaltem cum dimidiata apertura progrediendum eſſe velit.

Diuerſa eſt ratio fornacum apertarum & probationum, quæ quia non tam commode deſcribuntur, quam ex ipſo exercitio & vſu ſolerter cognoſcuntur, ideo ſingularia iſta ipſa Encheriſi & opere addiſcenda: In hunc finem adire potes commentaria Chymica.

Quod autem docet noster autor ſingulis ignis gradibus, ſingulas deſtinari fornaces, vel balnei, vel cineris, vel arenæ, vel ignis immediati, illud fieri nihil prohibet, ſicubi ſatis ampla eſt officina. Alias etiam nihil obſtat quin plures ſint vel pauciores fornaces. In Balneo ſolo plures notantur differentię, qualis eſt inter balneum Maris & balneum Roris. Vel in ipſo etiam balneo maris ſolũ, varietas eſt, dum illud ad deſtillationem adhibetur, vel aſcenſoriam, vel deſcenſoriam, aut lateralem. Difficilis res foret operæ, ſi in vna eademq; fornace per balneum, diuerſis materiis per aſcenſum & deſcenſum deſtillandis operam dares. Quamuis alias ſinguli tres modi & ipſe etiam reuerberatorius poſſint ad vnam formam redigi: & ſint etiã in promptu nonnullis inſtrumenta, quorum ope vtrumq; balneum exerceri queat vna, ac nunquam deſcenſorie & aſcenſorie ſimul, licet & for-

formula huius repræſentari poſſit. Sed hic magis eſt attendendum ad vſum & artificium congruum, quam cuiq; phantaſiam, quæ miras ſæpe inuentiones fingit, vt in confectione ſalis liquet, ſed non omnes conferunt, pluribus enim intentus, minus eſt ad expediendum promptus, niſi confirmetur experimento labor & adſit nota induſtria, parum his fidendum.

Tirones primum periculum faciant in fornacibus ſimplicioribus, arenæ & cineres, peculiares fornaces non requirunt. Quidam ne in balneo quidem fornacem mutant, excepto eo quod loco catini arenarii aut cinerarii, caldarium pro recipienda aqua balnei imponant, vel ſi capacitas fornacis ferat, quandoq; veſicam immittant, vt deſtillatio fiat vel in balneo vel ſtufa ſicca. Vbi labores ſuſcipis quarti gradus, ignis ſc. immediati, neq; hic perpetuum eſt, vt fornacem nouam extructam

habeas: Si n. catinos abstuleris, & horum loco tripodem immiseris, desuper vero fornaci tegulam imposueris, vel carbones accumularis, etiam reuerberationis & cęmentationis labor peragi poteſt. Loquitur noster autor de ſibi expe. tis artificiis & iudicio proprio, vbi itaq; illum imitaturus es in putrefactione per balneum (hic primus gradus requiritur, qui etiam in fimo reperitur) necesse est vt dolium vel cacabum supra caldariũ diſpoſueris. Si destillatione opus habes, non noua fornax necessaria est, sed illá perfice, vel cũ vapore in priore diſpoſitione, vel in aqua, modo vas vel dolium remoueatur, si per vesicam destillabis, instrumẽtum tibi proponitur cum fistulis, per vas refrigeratorium directis. Destillatio per arenam & cinerem ascendens, non arridet autori, maxime in aquis & oleis, vel in vegetabilib. vt pag. 14. obſeruatur, attamen in ſublimationibus arena cõducit, quando etiam
for-

fornax est immutanda, vel alia extruenda, vbi per retortas vel bocias fuerit destillatio instituenda quẽ modũ in oleis quibusdam obseruat, etiam aliqua variatio necessaria est, quod ipsa etiam forma retortæ indicat. Eodem modo ꝑut ignis requiritur vel intensus vel remissus, ignem ipsum immediatum in foco camini struet, vel in fornace peculiari reuerberationis. Et hæc illius est sententia de 4. ignis gradib. secundum balneum cinerem, arenam & ipsum ignem solum: Notũ autem est ex superiorib. etiam singulas fornaces suis gradib. distinguendas esse. Ne autem putes ignem aut illius calorem solum esse illud medium per quod destillationes perficiuntur, inuenies alios qui destillationem, vti spirituum, potissimum, vini, &c. glacie & aqua niuali tentent.

CA-

CAPVT V.

De aquarum ex herbis vel aliis rebus vegetabilibus destillatione.

ESsentiæ, quas Alchimistę è vegetabilibus extrahunt, forma sunt multiuariç, sed maiori ex parte aquã puram referre videntur, vel olei, vel certe substantiam siccam, instar salis, succi inspissati pulueris aut lapillorum, &c. Aquę fiunt vel per destillationem vel solutionem: sed quælibet forma essentiam totam in se cõprehendere debet, in qua astralis & occulta virtus intus recondita est, quo intelligi possit aliud esse magisterium elementare, aliud principium materiale, aliud vero quinta essentia, &c. de quibus in aliorum scriptis fusius. Autor prędictus primum aquarum destillationes docet, sub quibus & essentiæ latent, vna cum aquis sæpe & olea prodeunt, dum nimirum balsamus essentialis, qui in nonnullis copiose abũdat, simul resol-

ſoluitur &cum vapore aqueo aſcendit & coagulatus cum eo profluit, quapropter vna cum deſtillatione aquarum & oleorum fit mentio, quę tamen paulo poſt ſeorſim etiam explicantur. Duplex autem finis deſtillatori in aquis propoſitus eſſe ſolet, vel vt multum colligat aquæ, vel parũ, at efficacioris. Attamen prout deſtillationes inſtituuntur ita aquæ fiũt vel plures vel pauciores prouẽtus. Verum quidem eſt, quod plus aquæ nunquam eſſet eliciẽdum, quã rei eſſentia continet. Illud enim nõ extrahitur ex rei natura, quod illius ſubſtantiæ nunquam fuit particeps, ars ſeparatoria nihil alieni immiſcet, ſed natura commiſta ſeparare, & cuiuſq; formam ſeparatim exhibere docet. Ideoq; nunquam aquas niſi ex ſucculentis & aqueis extrahes, niſi forſan ſpiritus illos, qui in ſua coagulatione, aqueum quid præ ſe ferunt, etiam aquam appelles, artifices plerunq; nomine phlegmatis de-

designent, id q; ex humidis trahitur, neq; essentiis annumerant. Verum imperitior aliquis posset offendi & pro impostura habere aquas, quę ex aromatis & siccis reb. destillatæ aquę fiunt non ex rebus ipsis, sed illarum additione prodeunt, verum de his suo loco agendum sufficiat nouisse liquidam istam formam, essentiam non semper per se habere, sed sæpe numero pro iudicio & consilio medici aut artificis dependere ex alio, quo fit vt arcano latenti aqua aliqua spiritualis inungatur, quo facilius in aliud & notum subiectum illud trãsferatur, quod ipsum tamen subiectum nihilominus etiam præparationem chymicam expertum est & essentiale factum, ita vt vis formalis quæ ipsa ex sese extra materiam neque subsistere, neque in vsum venire commodum potest, subsistat, præterea vt etiam spiritus subtilissimi certa coagulatione (qui sese corporeos quasi exhibent) firmentur, ma-

xime

xime cum in proprio subiecto non posset al q. id utiliter adhiberi ideo nouo subiecto sed proportionato illud perficiendum fuit. Unde & artifices non qu ,suis liquores delatiuos promiscue, addere debent, sed illos tantum, quos formalem rei essentiam, vel vim medicam exprimere & illi conuenire posse norint. Interim tamen extāt etiam communes quędam subiectorum materiæ, quibus omnis generis essentiæ extrahi & in illis figi possunt: quę quia nō sunt (vt pro more artis loquamur) elementa res, sed separatæ, æthereæ, cœlestes factæ, propria quasi forma carere videntur (comparate siue respectiue dicendo) sed nudæ sunt materiæ, quarum forma & essentia, vna cum virtute inhærente ab affixo astro dependet, & vna in æthaream medicinam mutatur. Lullius æthereum istud præparat ex spiritu vini;

Aliis vero placet spiritus æthereus ex aqua dulci tractus, in balsamis

mis oleosis etiam materia oleosa sumitur, quemadmodum oleum ex terebinthina & similibus, seu id per se fiat solum, seu cum separatione ipsa. Si per se conficitur spiritus vsus eius est ad extracta si cum aliis, fiunt inde aquæ præstantiores: & propterea in destillatione aquæ ex herbis & aliis rebus plerunq; adiicitur vel vinum vel aqua simplex vel aqua destillata eiusdem generis, nisi contingat res destillandas abundare spiritu aqueo proprio, ex quo phlegmaticum separari possit. Hęc ipsa sunt aquarum destillandarum fundamenta, in quę respiciunt ipsi etiam destillatores, vt calidis rebus pro illarum natura, associentur similes liquores vinum, vel spiritus vini, frigidis vero affundunt frigidam fontanam, nisi forte eueniat vt calor acris calidorū contemperandus sit frigidæ adiectione, & statim illorum vsus expectatur, alias expetuntur naturæ cuiuis familiaria, quæ ipsa etiam diuti-

us integra perdurāt. Ex eodem fundamento etiam haurit artifex chymicus, quod dum materiam cum forma copulaturus eſt, & ex ſubiecto priſtino in aliam nouam ſpeciem transferre cupit: vetus prius ope putrefactiones reſoluendum & deſtruendum ſit, in qua putrefactione vna opera contingunt ſolutio, coagulatio & vnio: Sic enim fit aliquando fixum, & qui artificioſe chymiā exercitur us eſt eum comminutiones, commacerationes & putrefactiones præmittere neceſſe eſt: excepto tamen eo, ſi menſtruum, (vt appellari ſolet) ipſum ſoluat, & contritio ſine manibus & piſtillo eueniat. Vbi vero rurſum menſtruum ab eſſentia ſeparaturus eſſet licet hoc raro cum aliquo fructu contingat niſi vbi corporeum quendam ſuccum refert, illud quidem artis beneficio euenire poteſt. Quando vero vtraq; tam arcta communione copulata ſunt, vt vtrumq; eiuſdem naturæ, ſubtiliſſimū

& fugax sit, vel esſētia illius tā sit ſpirituoſa vt citra alienū ſubiectū ſubſiſtere plane non poſſit, inanis eſſet labor ſeparatio. Alias tamē fit vt ſpecies ex vno ſubiecto in aliud tranſponatur, vt ex oleoſo corpore in ſpiritum vini. Interim te noſſe arbitror, vbi in illa ſeparatione quid corporeum, elementare & phlegmaticum vna eductum ſit, tales aquas repetita deſtillatione eſſe corrigēdas: Si corpulēti quid & turbidi, ac crudi euehatur vna, in vſu ſunt digeſtiones & circulationes. Quamuis invicē horum ſoleat etiam vna extrahi balſamus Salis è reliquiis, vel etiā integra re, qui vna copulatus, etiā phlegmaticas humiditates relictas conſumit, & conſeruat ne facile corrumpātur aut immutētur, vbi diuerſæ eſſentiæ occurrerint in eodem ſubiecto, quorum alterum ſit ſpirituale, alterū in oleoſam ſubſtātiam coagulatū, quæ ſingula ſeorſim es reſeruaturus vt ēt ſeorſim ad vſum expetuntur, tū per

ſua inſtrumẽta ſeparẽtur. Et ſic breue habes cõpẽdiũ quopacto in omnibus deſtillationib. cũ fũdamẽto progredi, & huiuſmodi q̃ſtiones plures in re chymica ſoluere poteris, dũ alius rationẽ deſtillationis p rorẽ, alius p balneũ maris, alius deniq; p veſicã & ſtufam ſiccã, q dã per cineres vel arenã p̃ferunt. Alius itẽ herbas prius cõcidit, alius integras eligit, vt placentæ ex roſis formantur, alius herbas recentes piſtillo conterit, & proprio ſucco immacerat per menſes, alius affundit vinum, alius ſalem, alius tartarum, pro vt magna in his occurrit varietas. Verum libri huius autor, tibi primum ob oculos ponit deſtillationem per veſicam, deinde balneum ſimplex, tertio balneum cum præparatione per putrefactionem in fimo vel vaporoſo balneo. E veſica aquę extrahitur plurimũ, per balneum minus, niſi reſpondeat veſicæ in apparatu, tertia vero ratio exhibet præſtantiſſimam.

CAPVT VI.

Destillatio per instrumentum.

ITa quidem ab autore nominari solet dispositio vesicæ ad ignem. Vesica è cupro intus stanno obducta fornaci (angulosæ, aut rotundæ, quamuis rotunda præferatur) inditur, quæ primum cum ostiolis duob. quorum alterum ad cineres, alterũ ad craticulam aditum præbet, deinde cum 4. vẽtilabris desuper extruitur. Huic vesicæ imponendus est alembicus rotundus cupreus, vel stanno obductus, è cuius medio ambitu fistula quædam sursum reflexa surgit, cui serpentini canales affiguntur sursum directi ad perpendiculũ, mox in quadratos angulos, rursum descendẽtes in vas quoddam cupreum vel stanneum, ex quo rursum aliæ fistulæ quadratis angulis surrigũtur, & tandem per dolium quoddam refrigeratorium traiiciuntur. Vas illud medium, modo altius modo sub

missius collocatur, circa fundũ quod dam habet epistomium, per quod destillatum interdum emittitur. Cõmissura vndiq; chartis vel linteis, vel similib. reb. aut pasta quadam farinacea cũ albumine vel luto obstruuntur, vel membranis è vesicis animalium vestiuntur & illutantur, ꝑut spirituũ est tenuitas. Tali instrumento solet vt plurimum destillatio aquæ & olei vna opera fieri: vt & aquæ vitæ ex aromatibus & alia preciosiora & spiritualia. Possunt & gũmata & alia in essentiam huius ope redigi. Infunditur autem in vesicam pars vna rei destillandæ, aquæ seu menstrui partes 2. vacua relinquitur pars quarta, verum exactè in omnib. ista non obseruantur, reperiuntur enim quædam quæ summa petunt, & quædam quæ plus vacui desiderant. Quando recentia ad destillationem adhibentur, radices, semina, folia, flores & eius generis alia, autoris mens est, vt in mortario prius tun-

dantur,quia longe melior ratio eſt, quam ſi concidātur: ita enim liquor cum ſucco melius permiſcetur&ſpecie vaporis eſſentiam ſecum educit. Poſſunt &illa aliquandiu calore mitiori macerari, vt & autor meminit. Alii hoc nomine eo tardius in deſtillatione progrediuntur, ſicq; vna digeſtionem quandam perficiunt.

Quædam vero menſtruo non alieno,ſed proprio, ſolum adiectione ſalis vel tartari computreſcunt. Talis deſtillatio peragitur primo deſtillationis gradu& propterea mens eſt autoris,vt ex quatuor ventilabris vnum ſolum referetur,fornace alias vndiq; tam ſuperne quam inferne clauſa.

Ex liquoris menſuris 7. deſtillatione extrahit 4.vel 5.menſuras quę tamen iterum calore balnei, deſtillatione reiterata corriguntur in qua quidem rectificatione quidam adiiciunt ſalē&tartarū, maxime in oleis parādis: ſi vehatur vna oleum,illud

poſt

post rectificationem separandum est: si vna rectificatio non sufficiat, repetenda est altera, vt semper aliquid deponatur phlegmatis, perinde vt contingit in præparatione spiritus vini. Si destillator sit callens, initio prima statim vice, igne mitiori essentiam præstantiorem, in aqua reliquum vero cum oleo, peculiari vase excipiet. Cum ex aridis herbis destillatio instituitur, idem modus est seruandus, nisi quod bene præmacerandæ sint, maxime si fuerint duriores, vt lignosæ & corticosæ.

Semina & fructus non vsque adeo comminuenda sunt, vt quidam volunt, verum hoc noster autor iubet, sed prior opinio non est prorsus improbanda, quo plus è contusione atteruntur, eo magis spiritus illorũ dissipãtur, nã dũ cõtusione calesiũt, inde resoluũtur, & cum odore exhalãt, sed de his alias extãt plura. Interim in hoc autoris discursu, occurrunt difficultates q̃dã cogitari n.

Difficultates poteſt an non hoc opus deſtillatorium commodius inſtitui & tradi potuiſſet. Primum n. ait in fornace oſtiolũ vtrumq; luto arcte eſſe occludendũ, poſtquã carbones iniecti fuerint: è cõtrario autem multi inferne aërem admittunt, ne ignis prunarũ ſuffocetur ſed aëre ventiletur & cõſeruetur, ſed hæc eſt diſcrepantia ꝙ hi carbones ex inferiore loco ſuccẽdunt, autor vero ex ſuperiore, ideoq; aër admittitur per ſpiracula ſuperiora ex oſtiolo vẽtilabri qua carbones euentationem capiunt. Quod autẽ carbones accẽdantur ſuperne deorsũ etiãſi inferne nihil pateat, experientia demonſtratur. Deinde cũ non meminerit ignis gradũ vlteriorem q̃rendũ an nõ oporteat ad ſecũdum gradũ ignis aſcẽdere & plura ſpiracula relaxare, ſi vnũ ſolũ patere debet, cur 4. extãt in fornace? præterea videtur ac ſi vno tantum loco veſica calefieret, & inæqualiter deſtillatio procederet. Nam ad aëris exitum flam-

flammæ æstus sequitur, sed ex prioribus notum est, primum gradum caloris in igne raro esse excedendum: si quid vero præter opinioné accidat, destillator facile pro sua prudentia opus reget, ignemq; moderabitur æquali caloris gradu: etenim in hac destillatione animus nõ est phlegma simul cum spiritu educere, sed spirituosum solum, quod tamen non statim resoluitur totum, sed per partes subsequitur. Et hanc ob causam tantum aquę affunditur, quæ tamen postea per rectificationem rursus in minimam quantitatem reducitur, vt vix tertia pars vtilis supersit, partes 2. reliquas, ad sequenté destillationé reseruant. Tertio etiam quæritur vtrũ vnus idemq; modus destillationis sit, cum in herbis calidis tum frigidis. Ad hoc respondet autor, calidiores plus liquoris fundere, cum spiritus illarũ & essentia formalis latius extendatur: frigidæ herbæ plurimum sem-

per habent aquositatis, ob quam illarum spiritus frigidus euanescit, vt ꝓpter exiccationẽ ad refrigerationẽ parum conferant: Ideoq; creditur sufficere ad destillationem caloris principium, vel vix dimidius gradus ignis, quo parum omnino extrahatur, cum igni perpetuo insit vis alterandi & spriritus frigidiores à sua natura deiiciendi: illi tamen non minus cessant ascendere per innatam subtilitatem & volatilitatem: verum hæc physicis excutienda relinquuntur, qui sentiunt vapores seu exhalationes eleuari propter adiunctum calorem. Præterea videtur autor ipse in opere dubi⁹ esse & minus peritus, dum iam mensuram 1. iã duas destillatione segregat: mox post tertiam desistendum censet & nihilominus interdum 4. vel 5. colligit. Quia vero etiam rectificationes liquorum subiungit, dubitatur an eodem modo vnica mensura & duæ sicuti 3. 4. & 5. sint rectifi-

ctificandæ: Item quando vna ſolum menſura eſt extrahenda, id quod reliquum eſt, de eſſentia ſeu oleis an ſit negligendum? ſed facilis eſt reſponſio nam adhibito diſctimine pro rerum deſtillandarum viribus, præparatione & ſolutione: poteris vel vnam menſuram vel 2. detrahere & ſecundum illarum vires partiri. Ita & pro vt deſtillatus liquor fuerit vel purior vel impurior & phlegmate ſuffuſus, pro eo etiam correctiones inſtitues, ita vt non ſemper neceſſarium ſit rectificatione quantitatem imminuere: vbi enim abfuerit phlegma, ſufficit alteratio per circulationem vel apricationem. Quantitas menſurarum 4. vel 5. reſpicit fere olea plus quam aquas, olea enim non tam facile reſoluuntur ex omnibus partibus liquoris, ſæpe etiam adhærent fiſtulis ſerpentinis, vt vapore aqueo debeant perfundi. Quædam etiam pror-

prorſus nullum proferunt oleum, niſi prius in diplomate probe macerentur, aut liquor ſæpius extrahatur, quædam ſtatim fundunt oleum cum igitur copiam liquoris rectificaueris, plurimum aquoſitaris remanebit. Oleum vero ſi in liquore merſum occultetur, vt in vini ſpiritu, illud interdum, poſt inſolationem apparet & ſecedit, interdum etiam poſt rectificationem per balneum. De his & aliis quæſitis plura tibi commentaria chymica ſuppeditabunt,

CAPVT VIII.

De altero aquarum deſtillatarum modo.

DEſtillationis iſta ratio perficitur balneo, quod Maris vel Mariæ dicitur: parum producit aquæ ſed multum efficacis, ſi recte adminiſtretur. Diſpoſitio balnei fere cunctis eſt nota, ideoq; & ab autore

copiose non tradita est nisi quantum ad cautionem illam spectat, qua monet ne aqua balnei bulliat, cum inde essentia deterioris fiat qualitatis, naturamq; alienam acquirat, id quod tamen apud alios minime curatur, q per cineres fere omnium aquarum destillationes peragunt, quibus adhuc magis talis alteratio augetur & aliena qualitas inducitur. Coniiciendæ sunt herbę recentes in cucurbitam vitream, sine additamento vllo, excepto eo quod à quibusdam salis vel tartari aliquid adiiciatur. Quidam vero prius imbuunt vel vino vel aqua inueterata, sed oportet illas prius cõfringi aut minutim conscecari, alias plus phlegmatis quam essentiæ extrahitur: possunt etiam imbui ac immacerari proprio succo, deinde stillationes vrgeri ab initio gradus primi in igne, vsq; ad finem eiusdem neq; vltra, nisi forsan materiæ conditio permittat vt ad sequentes gradus

dus etiam fiat transitus. Aqua per destillationem excepta, vt plurimũ reducitur Sole: sed autor noster exigit aquæ eiusdem repetitam vel tertiam destillationem, cum recentibus herbis illa immaceratis, & tandem ad dimidias solum per se extrahendam aquam consulit, & tunc acquiri aquam præstantissimam operæq; precio dignam. Quæ minus artificiose separantur aquæ, eas fere extra balneum vel per vesicam, vel cineres destillant, vbi propter auaritiam sæpe valde exiguum aquæ relinquitur prius affusæ, sed ad siccum vsque exhauritur destillatione continuata, vt quandoque etiam tartarus quidam vesicæ inde accrescat, ad speciem salis, fecesq; increscant, vt hinc quilibet fere patrefamilias affirmare possit, se præstantiores parare aquas quam pharmacopola in hac re negligentior aliquis quamuis hæc res ministris sæpe

pe cõmittatur, qui aquas Rosarum tales destillatione quandoque exhibent, vt neque odor, neque sapor sit genuinus, breuique tempore spiritibus formalibus destitutæ ita euanescant, vt aquæ fontanæ prorsus assimilentur.

Herbæ vero siccæ, imbui prius vsitato menstruo necesse habent, vt ad naturam recentium proxime accedant. Menstruum istud, vel aqua est stillatitia, vel Ros destillatione exceptus, vinum, aqua illius naturæ veterascens &c. His vna etiam extrahitur quandoq; oleum, vt cum cinamomi aqua fit: sed industria requiritur, si hoc pacto oleum expetatur.

Quidam in diplomate arctissime clauso prius coquunt, alii ratione alia progrediuntur, sed hęc petantur ex Alchymia & commentariis nostris in illam, atq; ex aliis etiam scriptoribus aptis.

Sed obseruandũ est, si hoc modo aro-

aromata & alia destillatione sint tractanda, vt sufficienter prius præparentur. Requiritur enim sæpe vt cohabitatione quadam, aqua à fecibus semel abstracta, illis reddatur, & stillatione rursum excipiatur. Hoc eodem modo fiunt & aquæ compositæ, aquæ vitæ aureæ, carbunculares, caponum & similes: de his mentio fiet paulo post, si tamen obseruetur vt mista æqualis sint resolutionis & volatilitatis: quod si non fit, (vt vbi commiscentur gemmæ, margaritæ, terræ, argentum, aurum, ossa & alia) stultus suscipitur labor, remanentibus potioribus partibus inter feces. Balneo huic etiam aquea ad destillationem apta sunt, vt vinum, cereuisia, sanguis, carnes etiam & alia eiusmodi: quorum processus ex superioribus colligitur. In rectificatione tenendum est, quod quæcunq; odoris sunt acuti, & quæ caput facile replent, vt cerasorum & persicorum nuclei, grana, iunipe-

ri,flores ſambuci,Roſarum,ſpicæ,& eius generis alia, ſpiritũ quendam emittant,qui ab omni aquoſitate ſeparari poteſt, vt prorſus vini ſpiritui ſimilis reddatur. Sed ad deſtillationem ſunt adhibenda iſta cum in ſummo vigore fuerint odoris. Sed balneo ſępius abutũtur deſtillatores ad ſeparationes & ad rectificationes quã ad aquas ſtillatitias faciendas: ꝙ enim cũ ſpiritibus extractum aut reſolutum eſt,illud per balneum ſegregatur. Vbi etiam ſpiritus vini aquoſiores, aqua fortis & ſimilia fuerint reducenda, balneo vtimur. Quædam in deſtillatione neq; cineres neq; arenã inter ſeparationem ferunt,vt extractum tabaci, ſulphuris ſolutum & alia,quæ tamen commodiſſime balneo ſeparantur.

CAPVT VIII.

Tertius modus aquarum deſtillandarum.

HIc ſola præparatione à priori differt,ſiquidem etiam per bal-

neum fieri poteſt. Præparatio autem fit præcedente putrefactione chymica, quæ etiam maceratio vel infuſio dici poteſt, quamuis hæc latius ſe extendat, quod ſubſtantiam miſtam diſſoluat, quo eſſentia facilius extrahatur. Huius putrefactionis triplicem differentiam autor ponit. 1. perficitur in fimo equino. 2. in balneo roris vel vaporis. 3. in aqua communi balnei, quod & ipſum in balneum roris vel in diploma transferri poteſt.

Putrefactionem per fimum equinum, conſtat aliis præferendam, in quo, ex illius ſententia, profundiſſima naturæ myſteria ſunt abſcondita, quæ peculiarem requirant induſtriam artificis, ab illo vero hoc tempore non tradenda verũ myſtica illa qualitas ideo tribuitur fimo, quod ad ſolutiones per putrefactionem, quæ ſecundum Ariſtotelem inſitum calorem, cum ſuo humido radicali & ſpiritu extrahit & è corpore elicit, quod dum fit, vincula mi-

ſtionis diſſoluuntur & deſtruuntur vel etiam alias miſtum corrumpitur, vt neque forma, neq; vires priorum ſuperſint. Quod ſi fieret ſecundum motum naturalem ſolum, elementari modo, tum ſine fructu miſtum corrumperetur, niſi forte accidat vt eſſentia rurſum nouo aliquo ſubiecto comprehendatur, atq; ſic aliud pro comprehenſionis & ſubiecti conditione generetur. Verum artifices calorem, humorem & ſpiritum, vt & ſalem minime patiuntur euaneſcere, ſed eundem in vaſis concluſum retinere ſtudent ſummam adhibentes diligentiã, ne nimium putrefiat miſtũ, ſed vt illud quamprimũ tempore ſuo ad ſeparationem perueniat, etiãſi ſpiritus facillime aſcẽdãt & euagẽtur: attamẽ q nõ poſſunt exhalare, & à ſuperiore regione putrefactorii vaſis, quæ à frigido aëre tãgitur, deorſum repelluntur & coagulantur (quo quidem opere ſimul etiam circulatio perficitur, vnde & vaſa putrefa-

ctoria etiam circulatoria esse possunt) & iidem figuntur, vt postea cũ aqua & oleo facile separari queant: Talem igitur ob industriam & mysterium, & propter analogiam mineralium cum vegetabilibus, putrefactio in Magisterio lapidis etiã fimi equini esse dicitur, & si nihil fimi vnquam vsurpetur. Iam quia istud artis est arcanum maximum, ideo etiam fimus, arcani seu mysterii appellationem sortitus est, vna etiam ob causas explicatas, quod nimirum feras naturæ referet, viamq; arcanis sternat. Porro huic assimilantur calores balnei, Solis, & potissimum primus gradus ignis corruptiuus (est enim & alius calor qui non corrumpit sed conseruat & generat qui nullo putrefactiuo spiritu vtitur, & de hoc intelligendi sunt Medici, cum loquuntur de calido & humido, in quo vita consistit, etiãsi constitutio austrina etiam sit calida & humida, sed corruptiua tamen)
dum

dum ſcilicet calor ille fundatur in humido, quo putrefactio acquiritur. vnde etſi interdum dicatur putrefaciendum in fimo, nequaquam tamen ſynonymice ſemper id accipiendum, ſed interdum illa putrefactio balneo, interdum fœno humectato vel herbis, interdum in vinaceis & aliis abſoluitur: quamuis iſta omnia magis ad digeſtiones & circulationes, quam ad putrefactiones faciant. Vt autem fimus præparari debeat, patet apud artifices alios, maxime vero ex commentario Alchymiæ innoteſcet: omnium vero adminiſtrandorum encheria, vt calx, inferiorem, fimus ſuperiorem locum, in hoc vero putrefactorium &c. ſingula peculiari fouea, dolio, vel ſimili vaſe collocanda ſint, facile intellectu eſt, moderatio vero & recta adminiſtratio, cuiusuis non eſt, neq; etiam præceptis ſpecialioribus comprehendi poteſt, cum miſtum vnum ab altero pluri-

mum differat, quædam enim tenaciter commista sunt, quædam cito sunt resolubilia, quædam medio se modo habent: Quædam hoc menstruo gaudent, aliud alio: putrefactio interdum fit in proprio menstruo, interdum in alieno, cuidam additur sal, ne gradus putrefactionis transcendatur, aut fœtidam putredinem acquirat. 1. Hic igitur experientia & certa obseruatio requiritur. Ideoq; de his pluribus agere autor noluit, vias tamen commonstrat compendiosas, in quibus minus errare liceat, scilicet balneum vaporis seu Maris, quod calorem putrefactiuum non habet, sed potius digestiuum, nihilominus tamen putrefactioni inseruientem. De his duobus vt verba fiant operæ precium non est quia clarus est textus. Hoc notandum quod aliqui putrefactionem in aliquo opere sæpius repetant, aliq vero prima contenti sunt. autor noster primum putre-

trefactum stillationi subiicit, stillatum vero nouæ materiæ reddit, putrefacit denuo, sed breuius, cum persuasum habeat menstruum ad se citius essentiam attrahere, cum non solum penetrabilis qualitas sed etiã propter similitudinem substantiæ Magnetica vis insit. (Tempus, mẽsis, philosophorum appellatur, rei cuiuis appropriatum, dies comprehendit plures quandoque, vt 28. 30. 40. &c. quandoq; paucos vt 3. 7. 9. &c. vnde liquori menstrui nomen obtigit.) Quidam materiam contundunt ad formam pultis, si proprius liquor sufficiat: & addũt aliqd Salis (salẽ vero oportet esse purificatũ & ꝑpterea creditur, sal tartari esse maxime idoneus, sed loco illius, vini spirit⁹ aliqd sumi posset (vel si sicca sit, in puluerem redigunt & menstruo idoneo humectant, ad congruũ tempus putrefacientes tãdẽ per expressionẽ separãtur, feces abiiciunt, succũ recentib⁹ affundũt,

putrefactionem repetunt toties, quoties id rei vtilitas requirere videtur, vel libeat, tunc ex liquore putrefacto, exstillare faciunt aquam & oleum, si olei ferax fuerit: ab aqua phlegma separant, quod idoneũ fit menstruum in simili materia putrefacienda. Oleum vero purificatur & rectificatur, & hoc est Martem in Solem mutare, quemadmodum rectificatio aquæ est transmutatio Veneris in Lunam. Succus calcinatur, inde extrahitur sal, qui rectificatus, est transmutatio Saturni in ♃. Saturnus enim terreus est, & hoc nomine sæpe donantur feces, reliquiæ, capita mortua &c. Et hoc est mysterium soluendæ naturę & reducendæ ac mutandæ in prima tria, & ex terrestribus in æthereum: elementa quoque (vt aquam phlegma dictum & terram, quæ corporalia maxime existunt, vt & Aristoteles de plantis & animalibus &c. scribit) ex quinta essentia

Planetarij transmutatio.

tia in tres essentias separatim comprehensas, discernendi: Et hoc facilius in animalib & vegetabilib. obtinebis, licet in altero plus, in altero minus, quam in mineralibus, in quibus putrefactio & solutio cum maiore difficultate perficitur. Si vero cæleste menstruum & clauẽ propriam deprehenderis, debitamque pręparationem ac contritionem noueris, id etiam facile fuerit. Menstruum vero in aliquibus est vini spiritus, sæpe alcabizatus & exacutus, item circulatũ maius&minus in Paracelso, ex tartaro, post extractionẽ spiritus. Et hinc etiam menstruum quoddam est, spiritus Tartari, aqua Mercurialis, aqua cælestis, soluens, &c. ex quibus aqua Mercurialis multa in se mysteria continet, vnde & puluis similis efficaciæ ad metalla fieri potest, hinc Mirandulanus Comes scribit, se sæpius momento vidisse aurum argentumque solutum. Tria illa arcana in mineralibus, vul-

Principiorũ 3. inuentores go dicuntur nominibus Mercurii, ſulphuris & ſalis: Primum ab Iſaaco Hollando (vt creditur) aſſumptis de inde & à Paracelſo, qui tamen ſignificationes latius extendit, vt ſimul etiam vegetabilia & animalia comprehendat, & quod inde omnia mixta ex his principiis ortum habeant, docuit, quæque in elementaria corpora, tanquam in arcam aliquam concluſit.

Paracelſitæ vt & illorum princeps technologica iſta phyſicis opponunt, tanquam per ea, dogmata Hyppocratica, Galenica & Ariſtotelica euerterentur. Sed iſta chymicus verus non curabit, notiſſimum enim eſt artes ſuos habere terminos & modos loquendi, & ſic nemini quicquam derogatum vel præreptum cupit.

Abſurdum foret ſi is qui metalla tractat pharmacopæum cogere vellet vt ſuæ diſciplinæ vocabula & phraſes mutaret, & omnia metalli-

corum more enunciaret, res intelligantur & artibus sua relinquantur. Quod si chymici omni non statutum haberent, contra Aristotelicos physicos, obtinere sua, fateri tamen cogerentur cum ipsis quod isti essentias appellant, his nihil aliud esse quam substantiam subtilissimam, humidum radicale, spiritus & salem in materia terrestri vel crassa recondita, quanquam propter dissimilem ortum & analogiam cum elementis distributa sint, ita vt vnum terræ assimiletur, alterum aëri, tertium igni, quartum aquæ, pro vt & chymistæ ipsi hæc interdum nomine elementorum appellant.

Verum horum nullũ ex sese simplex est, sed mistum omne, non casu, sed DEI omnipotentis creatione primis rerum initiis, (vnde & ista nemo præter ipsum resoluere & in pristinam simplicitatem reducere potest) qui vt generauit, ita & con-

conſeruare nouit,quædam ſub indiuiduali ratione,vt cæleſtia corpora, quædam ſub ſpeciali, mediante tranſmutatione & multiplicatione, ita vt ipſe in naturam quandam,ceu creationis ac tranſmutationis ideam & ſimilitudinem implantarit, quam nos generationem & nutritionem appellamus, quorum beneficio,ſubſtantię perennant,&ad cõſummationem omnium rerum mũdi ſubſiſtunt. Quod ſi res corporeæ penitus intime inſpiciantur, deprehendetur,quod omnia quæ ſub homogenia miſtorum comprehendũtur,vnius modi habeant ortum ex elementari chao, ſed in partibus diſcrimen eſt, pro ratione elementorum in chao,& eorundem perfectione ac degeneratione, id quod in vegetabilib.maxime eſt perſpicuũ nucleus enim pomi perſici,cum primũ ex ſeminario principio progerminaret,neq; oleum neq; aquam mercurialem neq; etiam ſalem eſſentialem

lem continebat, ex quo etiam ſeparari nullum poterat, quod enim aqueum & ſalſum tandem extrahitur crudum adhuc eſt & elementare, vbi ad perfectionem maturitatis adoleuerit, omnes iſtæ tres eſſentiæ cõparebunt, ſed horum vnde prouentus? ex internis viribus pro natura & proprietate arboris ac alimenti, q̃ ex terra inſtar ſuccorum (vt in vite, nuce & betula, &c. obuium) attractũ eſt, quorum tamen nullum, aliquid circa principia huius eſſentiæ, in ſe contineret. Ita vt concludendum tibi ſit, oleum, aquam mercurialem vegetabilem, & ſalem eſſentialem, ex eodem elementorum chao, mediante natura à Deo congeſta, vnita & ad naturam ſpecialem determinata eſſe, atq; ideo nil aliud, niſi materiæ communis, diuerſas partes eſſe, quarum altera ſit magis ignea, altera plus aquea, alia ſubtilior, alia craſſior, &c. prout enim partis cuiuſque natura fuerit & conſtitutio, pro

eo

eo etiam patitur mutationem à virtute operante, & vna commodius in essentiam vegetabilem accretionis & augmenti commutatur, altera vero manet ineptior. Atque in his philosophi cum chymicis vnanimiter consentiunt, solum discrimen est in artis vocabulis & terminis, quorum gratia nemo contemnendus facile fuerit, sed suum cuiq; attribuendum.

NB. De medicorum & Paracelsicorum appellationibus.

Et sic plane sese res habet cum Paracelso, suisque discipulis & cum medicis: quod enim hi ex præscripto artis medicæ & ex physica pronunciant, illud Paracelsus parabolice ad ea detorquet, quorum nomina à mineralibus, cœlestibus & aliis rebus emendicare solet, persuasum habens id sibi licere, eo quod minor mundus, maiorem imitari cogatur, verum non perpendit is, quod omnia rerum nomina mundi externi, extra hominem, ab ipsis hominibus inuenta sint, quæ merito secundum

dum illa quæ in homine sunt, appellationes sortiri debuissent, nequaquam vero hominis membra, ab externis: taceo quod maxima pars appellationum istarum antiquitus incognita fuerit, sed nuperrime demum inuenta & ex variis linguis corrasa, vel ab artificibus excogitata. Sed de his alibi actum, neque enim Paracelsi discipuli, quicquam solidum his opponere potuerunt.

Qui nostræ chymiæ operam daturus est, huic artificiose de illa loqui & terminis chymicorum vti licebit, verum ne alias scientias propterea contemnat, modo singula vt vere sunt, intelligat, siue Italice, siue Gallice, metallicorum aut medicorum more proferantur. Poëtis, & herbarum scriptorib. idem ius fasque est, quod Paracelso, hi iam lõge ante ipsum, terrã matrem, cœlum & aërem patrem, saxa ossa, herbarum succum sanguinẽ, & similia quamplurima alia dixere, ad imitationem par-

partium, virium & operationum in homine singula exponentes: neque tamen ideo in artibus tanti tumultus exorti sunt, neq; etiam nationes aliæ in hac ipsa scientia Chymicorum, tantum delirarunt, vt ideo cõtentiones & rixas excitarent, solum Germani quidam se à Paracelso varie decipi passi sunt, sed nasuti tantum, qui cum alia ratione emergere non possent, hoc pacto inaudita su. sapientia præ aliis sapere & angelico acumine se præditos esse videri voluerunt.

CAPVT IX.

De reprobatis aquarum destillandarum modis.

DIsplicet autori, si quis persuasum sibi habeat, se æq; bonas aquas paraturum cum stanneis vasis in arena, cinere, sole, &c. statuit has esse ad medicinam inutiles vel fœtentes: quæri etiam posset quid de destillatione per balneum roris &

vaporem censeret. Sunt enim Sceptici quidam, qui putant nullā præstantiorem aquam ex herbis & floribus haberi posse, quam vel calore Solis, vel vapore aquę calentis. A sole enim credunt influentiam cælestem, in aquas deriuari, iuxta regulam, omne alteratum sequitur naturam alterantis, præterea negant cōtrahere istas aquas Empyreuma, phlegma vero cum spiritibus in humore radicali hærentibus non relinqui, sed per se puros spiritus exire. Destillatio per cineres ac arenam paucis nititur defensoribus, quamuis aliqui sint pharmacopolæ, qui omnia per alterutrum horum absoluant, aquasq; valde acres & pungentes extundant, parum considerantes sint ne materiales an formales, phlegmaticæ an salsæ, elementares an cœlestes, modo aqua sit, qua pecuniam acquirant ferentibus medicis. Destillatio in Sole, magis ad rectificationes aquarum, quam ad ex-

tractiones earundem adhibetur, in iis nempe, quæ per media alia, ſpiritualia ſunt reddita, niſi forte per parabolam, & alias rationes balneum in Sole extrui poſſit, in regionibus calidis, ſtructura penſili, (vt horti penſiles extant,) qua cum Sole circumagi poſſit. Alias vero artis non eſt, agens inſtabile, adhibere operi ſtabili: difficilis præterea fuerit gubernatio, cum in manu artificis non ſit poſita, multuſque requireretur apparatus, pro graduum variatione, qui tamen haberi ſemper non poſſunt.

Etſi vero contingere poſſet in ſole deſtillatio, ad artem tamen hæc non reducitur.

Quod aiunt inde eſſentiam reddi aſtraliorem, quam elementari calore ridiculum eſt figmentum, ſpiritus quidem ex ſua coagulatione in volatilitatem redigi poteſt, ope caloris ſolaris proportionalis, ſed propterea nobilior, quam pro naturæ ſuæ

pro-

proprietate non sit, neq; de radiis, quicquam combibit. Commentum id fere sic se habet, quemadmodum veteres de succino fabulati sunt, docentes id ex radiorum solis coagulatione enasci.

Non enim in elementari essentia separatam possident virtutem cœlestem, sed calor illorum elementaris naturæ est factus, ex contactu elementari, & propterea etiam effecta similia sunt. Atqui volunt radiis solaribus omnia vegetabilia excitari, *Obiectio* & Aristoteles calori solari in rerum generatione tantum tribuit, quantum seminali calori in semine implantato, vt dicat esse naturam proportione respondentem cœlo & astris: Sed ista alibi sunt disputanda. Artifices periti qui Paracelsicis fumis non sunt obscurati, id minime deprehendunt. Nam per fimum balneum, & alios calores temperatos, etiam oua ad exclu-

ſionem fouentur, & vermes carni ingenerantur.

Alia eſt ratio caloris temporum, alia artificum Alchymiæ, ſed interim calor ſolis minime reiiciendus in digeſtionibus, circulationibus, recti ficationibus & aliis. Notum eſt in eo herbas exſiccari, at coagulatam eſſentiam inde non produci, vt ars requirit, conſumens tam ſpiritus quã phlegmata.

Balneum roris. In ſumma, quod arte acquiri poteſt aliis nõ indiget, Balneum roris eleuat ſolutos ſpiritus, gradationẽque artificioſum modum admittit, vt ideo præmiſſa putrefactione vel in ſubtiliſſimis & ſpirituoſis rebus, ſine hac ipſa facile locum inueniat: neque etiam autori noſtro aduerſatur, etiamſi ſolũ ad putrefactionem & digeſtionem adhibeat: ſed præ illa, rationes aliæ parui faciendę non ſunt, quælibet enim deſtillationis ſpecies, ſuas habet vtilitates, ſi materiæ conuenienti & modo oppor-

tu-

tuno accomodetur, ita vt etiam in destillatione aquarum, communiter cineres, arena ferri limatura, &c. non probentur: in aliis tamẽ artificiosis operationibus singulari & explorata vtilitate non destituuntur: sed in laborante ipso situm est, ne administrationem operis permutet sed balneo destinet id, quod balneo debetur, cineribus, quod cineri, arenæ quod arenæ conuenit.

Sunt qui balneum roris & maris coniungant, quod sat commodum est, si recte attendatur, & peritia adsit, ita vt vapore exstilletur id, quod minus fixum durunq; est, balneo vero, quod eidem competit.

Et sic vesica seu cacabus aheneus, cum balneo roris copulatur, si vna cum aqua lignorum segmenta vel herbæ mixtim, loco balnei solius substernantur, augebitur sic caloris gradus, perinde ac si in lixiuio vel in aqua cum cinere destillatio peragatur.

Quidam in imum catini vel cinerarii, arenam collocant, in medium cineres, cum cucurbita conuenientе materiam destillandam.

Posset etiam ahenum cum balneo, in catinum, cinere substrato & circundato collocari, quo diutius calorem ignis retineret.

Fit & destillatio per sterquilinium, dolium & alia. Vulgo vtuntur fornacula figulina (species est stufæ siccæ) in qua pauimentum exstructum est ex ferrea lamina, arena vel cinere constratum, cui incumbit peluis argillacea loco vesicæ vel cucurbitæ, huic primum charta imponitur, ne herbæ adhærentes vrantur dein pileus eiusdem substantiæ argillaceæ aptatur, sicq; in destillatione aquæ rosarum placentæ rosaceæ formantur.

Sunt qui ferreis vtãtur fornaculis anemiis, quibus varii generis catini vel balnei cineris vel arenæ accommodare possunt.

Ex-

Extat apud Mathiolum talis fornax figularis, in qua ſingulæ partes conſtituunt ſingulas cucurbitas vel catinos, ſuum alembicum quoque recipientes, quæ & ipſa ſpecies eſſe poteſt ſtufæ ſiccæ, ſeu balnei ſicci.

Conficiuntur etiam in hanc rem abaci, cochleæ & forma quadrata clibani, in quibus vel ſtufa ſicca, vel balneo vel cineribus, aut etiam vapore deſtillatio fieri poteſt.

Sed varietas iſta ſtabili præcepto non comprehenditur, accidentaliter enim inuenta, compendia vel ſimulacra, aut etiam diminutiua ſunt maioris & iuſti operis.

Deſtillationem cum pileis roſariis ſtanneis, autor noſter improbat, quamuis veſicam ſtanno obductam non repudiet, quæ tamen abſque ſtanno parum tuta eſſet ab iniuriis.

Cognitũ vero eſt experiẽtia, aquas deſtillatione exceptas, per inſtrumenta ſtannea, plumbea aut ex mar

chaſita cõfecta atq; etiam illa quæcunq; cum Regulo Antimonii participant, nullas præbere aquas durabiles, quod ipſum etiam obſeruatur in vinis, quæ per noctem in vaſe ſtanneo reſeruantur, quod turbida euadant, quin & ſtannum ipſum, turbidas aquas deprimit, vt tandem inclareſcant.

Præterea cum plumbum diuturna obſeruatione repudietur (fingitur, enim plumbum aquæ leproſas ſuas tribuere proprietates, ſpiritus per illud euaneſcere, vel in ſeſe imbibere, vt nil præter aquã phlegmaticam reſtet, cuius mox indicia apparent ex ceruſſa, vel mercuriali dulcedine) fabri autem ſtannarii ſtannum nunquam purum ad opus ſuũ adhibeãt, vel quod aliter nolint aut non poſſint, ſemper aliquid plumbi adiicientes: Phyſici quidam & metallorum periti, ſtatuunt marchaſitam ſtannum & plumbum vnius eſſe naturæ, ſolum differre quibuſdam

accidentibus (quam vis mihi aliud videatur) & ideo artis non esse magnæ credunt, si quis ex marchasita & Antimonio plumbum, ex plumbo stannum, imo ex plumbo argentum viuum educat: ob tales causas pilei isti rosarii & cucurbitæ stanneæ, reiiciendæ forent. Verum de his alio loco plenius agendum. Apud autorem nostrum id proponitur, quod conuenientissimum est, si arte res tractanda sit, & non compendia ob egestatem & necessitatem quærenda.

CAPVT X.

De oleis ex herbis.

QVando autor rationes destillandi aquas per vesicam edocuit, simul, etsi obiter tantum, oleorum etiam meminit, eo quod ista sæpius per instrumentum cum aquis prodeant: Et sic in altera ratione etiam salis vna mentionem fecit,

quod tamen alias ex herbis integris peculiari modo conficitur: Ita vt iam ordine, absolutis aquis, de oleis dicendum esset: verum is de quinta essentia agit, post de oleis: & quia essentia ad extracta specialia refertur, totiusq; partis arcanum complectitur, oleum vero vnum ex tribus principiis existit, & ita pars est totius, capita transponemus, & post aquas, de oleis dicturi sumus, inde de sale & tandem de extractis & aquis compositis consideratio suscipienda. Oleorum autem ex floribus, herbis, seminibus & radicibus, quadruplicem modum proponit: ex his tres artificiosos & vere Chymicos statuit, quartum vero, qui pharmacopoliis vsitatus, & qui per oleum oliuarum vel alia olea in quibus prius herbæ, cum additione liquoris, aceti salis, vel vini probe commaceratæ admisto simul oleo &c. coquuntur, excludit, etiamsi Magisterium non absit, verum hic modus, si

ex arte & diligenter tractetur, nequaquam improbandus est, maxime quando olea chymice præparantur, & menstruum extractionis, vel subiectum alterationis ad medicos vsus fiunt, quemadmodum in exemplo infra fol. 96. patebit, balsami Chirurgicalis, sola infusione, apricatione digestione ac expressione parati.

I. Modus Chymice parandi, est instrumenti seu vesicæ, cum canalibus & cũ refrigeratorio, cuius typus supra, in primis aquarum destillationibus expressus est: peritus etiam facile per cucurbitam, in cinere expediet idem: vel si sua natura materia fuerit oleosa, vt resina abietis, Terebinthi, &c. etiam in balneo pararetur, de quibus infra plura.

II. Modus est extractio in simili, præcedente quadam putrefactione vel maceratione, eorum, quæ oleosam substantiam habent, vel

vel oleum fundere possunt, vt nux moschata, cinamomum, caryophylli, semina, herbæ &c. quæ crasse contunduntur & macerantur in Sole per menses 2. mox igne aliquãtum resoluuntur exprimuntur & separantur. Potest etiam hic modus referri ad expressiones, qui sæpe nõ parum subtilis est, vt si materia in sacculum ponatur, qui ex operculo diplomatis suspendatur, & sic vapor extrahatur, donec per vaporẽ substantia oleosa resoluatur, & ex potentia in actum ducatur, tumq; exprimitur & separatur. Quidam etiam rectificationes adhibent, destillationibus per aquam in balneo. Alia tamen est ratio si per vesicam aut cucurbitam destillatio fiat, vbi si coniicitur oleum profluxurum, omnis materia destillationis eximitur, oleumq; exprimitur torculari, phlegma reliquiis affunditur, & destillatio iteratur: quod vero cum aqua excipitur in subiecto vase, id segre-

gregatur, & cũ altero coniungitur: Et ad hanc rationem parandorum oleorum, destillatio non requiritur, nisi vna eandem perficiendi sit animus.

III. Modus fit per descensum, qui etsi varius, vnicus tamen ab autore solum proponitur, ea scilicet species quæ inhumatoria dicitur, duasque requirit cucurbitas lapideas aut vitreas, bene luto obductas, vel etiã ollas, ex quibus superior materiam, nempe lignum, cortices, virgulta, baccas, carbones fossiles, ossa & similia) continet, inferior autem spiritum excipit descensorium cum oleo, quæ dein segregantur & rectificantur. His duobus intermedia est lamina perforata, argillacea vel lignea aut ferrea, quamuis operculum instar patellæ lapideum, bene adaptatum conuenientius esset, circa superiorem ollam, ignis extruitur circularis, cum gradatione, quæ omnia plane ab ipso autore expla-

planantur. Obſeruanda autem maxime, eſt rectificatio oleorum, quæ tamen tempus ſibi poſtulat, illa enim ingratus grauisque nidor aduſtionis, aufertur. Multum hinc de deſcenſione diſcurrendum eſſet, ſed illud in commentaria mea, & Alchymiam reiiciendum putaui. Iſtos modos oleorum eliciendorum autor hic coniunxit, ſed infra, vbi de oleorum & aquarum viribus agit, mentionem facit & alterius modi parandi olei ex cinamomo, beneficio deſtillationis, per alembicum, idque præmiſſa maceratione in cucurbita: vt & alterius adhuc per retortam cum ſpiritu vini: & alius ex reliquis earum rerum ex quibus per alembicum aqua extracta eſt conſiderat, itemque per Retortam: vt & oleum Guaiaci cum maceratione in vino Maluatico etiam per Retortam &c. Quæ olea quia empyreuma redolent, beneficio balnei, mediante digeſtione & deſtillatione, recti-

rectificantur. Eodemq; loco tradit alios etiam esse modos parandarum aquarum & oleorum, quos tamen neque necessarias neque vtiles censet. Peculiarem etiam rationem monstrat in croco, qua docet, vt ex Amygdalis oleum exprimatur, ad quod faciunt earum purgatio, concisio, maceratio, contusio, calefactio & expressio: Et quia hoc ipso oleo, tincturam vel essentiam ex croco extrahit, subindicat, nõ prorsus negligendam esse rationem parandorum oleorum ex herbis, per olea, in quæ non solum succus herbarum deriuatur, sed oleosa etiam herbarum substantia: quod ipsum etiam testatur autoris labor, dum ex croco oleum, per oleum elicit, quæ ambo cum spiritu vini separat: nisi velit oleum quod separatur, essentiam croci non esse, sed tinctum quendam spiritum, ex oleo Amygdalino, cum spiri-

ſpiritu vini vnitum. Ita etiam oleum Caſtorei, per ſpiritum vini & oleum Terebinthinæ, commacerando, deſtillando & ſeparando fit. Oleum ex lignis & baccis iuniperi, per aſcenſum parat, ex veſica, per inclinationem & per deſcenſum. Oleum baccarum Lauri per macerationem in vino deinde per expreſſionem. Craneum hominum immacerat vino, per retortã, & exſtillare facit aquam & oleum. Oſſa humana calefacta, mergit oleo oliuarum, & per retortam ſtillat oleum, perinde vt oleum ex lateribus quod in arena ter cohobatur, & in balneo rectificatur, digerendo & deſtillando. Oleum vero ex Laudano, cum ſilicibus & ſpiritu vini per retortam agit. Oleum mellis cum cinere per alembicum. Ceram cum vino ſubactam, adiectis ſilicibus, per retortam agit, ſed nouies, & tandem adhibita rectificatione, per digeſtionem, atq; in balneo, ex alembico excipit,

cipit. Ex eodem parat balsamũ, infusione & expressione. Oleum Myrrhæ, ipsi fit in arena, cum spiritu vini, ex Retorta, tertio cohobatione: vt & oleum Thuris. Masticinum oleum, per descensum, igne circulari, vel vt oleum Myrrhæ. Oleum Terebinthinæ cum alembico, vel cum Retorta, in arena, admixto sabulo: Hoc ipso præparat solutum sulphuris, pro balsamino oleo. In oleo ouorum 4. proponit modos 1. per frixationẽ & expressionẽ 2. per eandem cum colatura 3. per retortam simpliciter 4. per additionem pyrethri & aliarum rerum, eodemq; pacto in arena, ita vt fiat balsamus compositus. Olei succini tres proponit varietates 1. per descensum 2. per retortam, in arena 3. per solutionem cum spiritu vini. Inter mineralia, docetur oleorum mineralium modus per sublimationem, per solutionem, per tabulã, vt in Antimonio & sale Ammoniaco, quã-

uis potius liquores fiant quam olea, alias vbi ſubſtantia ſit oleoſa & pinguis, vt Myrrhæ, Camphoræ & ſimilium, talis quidem ſolutio, oleum dici poteſt. In Arſenico, vtraq; ratio continetur: poſtquam enim reuerberatio facta eſt, in tabula ſoluitur, poſtea vero per alembicum pellitur quod oleum eſt minerale. Ita vt manifeſtum ſit, autorem triplicem rationem oleorum Chymicorum monſtrare, quartam vero etſi communem, minus tamen commendatam illi eſſe, quam tamen ſimul etiam adhibet, & Chymicis admiſcet. Nihilominus oleorum particularium, plures rationes indicat, quaſi priores generales ſtatueret, iuxta quas ex re qualibet oleum extrahi poſſet, ſiue per veſicam, ſiue macerationem aut expreſſionem, vel etiam tertio per deſcenſum. Verum manifeſtum eſt hoc præceptũ generale eſſe non poſſe, quandoquidem oleum philoſophorum, vt & alia

alia neutro modorum prædictorum conficiatur. Et licet obiiceres posse per descensum fieri, tamẽ è cõtrario non q, quomodocunq; effici potest spectandũ, sed q, artis est & sapientũ studio ac experientia selectũ, vt prestantius, quo scilicet ars contendit, approbandum fuerit. Plures itaq; in Alchymia oleorũ parandorum sunt modi, quorũ nullus in suo genere est improband9, cũ cognitũ sit, materiã illarũ rerũ q bus sulphureꝰ balsamus inest varie sese habere, q̃ nõ patiuntur vnũ solũ elaborationis modulũ iustũ & congruentem Hæ rationes methodice possent comprehendi, sed imperitioribus satius est particulatim & singulatim enarrari.

Sicq; primus modus fuerit is, qui per vesicam est: iuxta quem ex omni vegetabili substantia, combustibili quæq; sulphur possidet, oleũ fieri poterit, vt potissimũ apta sunt aromata semina, caules, radices & herbæ 2. p sublimationẽ ex alembico cũ cucurbitis, in balneo vel cinere, vtpote ex *Oleum parandorum modi 18.*

aromatis & gummi & aliquibus etiam animatarum & mineralium rerum partibus.

3. Per retortam, in cinere vel arena, competens durioribus & mineralibus finitimis, vel etiam mineralibus ipsis. Ioh. Bapt. Porta huiusmodi rebus etiam balneũm accomodauit, oleaq; sic parat ex rebus subtilissimis, quorum spiritus diutius synceri in calore non permanẽt, qui si in sublime ducerentur, facile dissiparentur. 4. Per expressionẽ simplicem, vt oleum Amygdalarum per expressionem cum alteratione, vt si Amygdala cum floribus alterarentur, & deinde oleum exprimeretur. 6. Per expressionem cum vstulatione, vt in oleo ouorum. 7. Per expressionem cum coctione &c. possuntque omnes formæ, quibuscunq; prelum applicatur, vni alicui generaliori modo accommodari. 8. modus est is quando in oleo prius præparato, vel per expressionem,

co-

coctionem vel destillationẽ res extinguuntur, & ad destillationem applicantur. 9. Cum species in oleo macerantur, postea vero repetitis macerationibus & operis, exprimũtur. 10. Vbi particulæ quædam in oleo, vna cum sale, aceto vel vino in diplomate coquuntur, & post liquoris consumptionem exprimuntur. 11. Quando res tam simplices quam compositę, vapore aut maceratione ad oleositatem vsq; imbuuntur, atq; deinde exprimuntur. 12. Cum eædem liquori alicui incoquuntur, donec oleum in summo innatet, vt abstrahi possit. 13. In hoc quædam sponte accensa, oleum stillant vt virgulta, lintea &c. Per 14. modum, quædam in cella soluuntur aut balneo, vt plurimum præuia præparatione, vt leuigatione, reuerberatione, compositione cũ salibus soluẽtibus &c. pro cuiusq; qualitate. 15. Quædam in Sole soluuntur atq; exprimuntur, vt flosculi teneriores

verbasci &c. quod ipsum tamen plus viscositas quam oleum, succusque extractus dici meretur, nisi vna pinguedo quædam admista contineatur, vt in Amygdalino. 16. Quædam beneficio spiritus vini & calore coguntur, vt in oleum abeant. 17. Olea quædam sunt soluta per coctionem, quæ per destillationem exaltantur, vbi nimirum festinare nil cogit, vt in balsamo sulphuris, Arsenici & aliorum. 18. modus per descensum fit, cuius apparatus varius, vtpote balnei, stufæ siccæ, inhumationis, per phiolas, cucurbitas, ollas &c. pro vt rei natura, conditio & occasio postulare videtur. Quin & in Sole descensoria destillatio haberi potest, idq; vel in rectum vel in obliquum, pro vt dirigitur. Plura de oleis explicanda, in Alchymia & alibi reperiuntur. Notandum omnia olea quæ extra Alchymiæ præcepta fiunt (quæ proprie & vere ad artē spectant) potius esse præpara-

paratoria quintarum essentiarum in oleis, quam per se absoluta & perfecta Chymica: quæ etiamsi non vlterius ob circumstantiarũ varietatẽ elaborentur, sunt tamen nihilominus essentiæ extractæ, quãuis inferiore gradu, velut sat cognitum est, essentias gradibus distinctas esse, aliasque aliis esse excellentiores, ad hæc quædam eius sunt conditionis, vt sublimiora fieri non possint, sine metu corruptionis: Quædam vero à natura ita parata sunt, vt tantum collectione opus habeant & repurgatione, vt Petroleum & Naphta. Quædam à natura præparationis initium habent, ab arte absolutionem consequuntur. Generatim dicendo, artificẽ oportet naturas rerum singularum spectare, & secundum illas sese in opere gerere, non enim ex quouis quiduis educet, sed ex signaturis naturalib⁹ agnoscet cuiusq; ꝓprietatẽ. Quid enim laborẽ, ex communi & simplici sale, oleum

per deſtillationem parare, cum il-
lius potentia tam ſit remota, vt ab
arte prorſus diſſideat? Qui ex aqua
oleum Tartari ſit paraturus, prius
norit artem neceſſe eſt, qua aquam
in vinum transmutet. Stultum eſt
ſi quis conetur, hydrargyrũ in pin-
gue oleum mutare, vt & Paracelſitę,
promittentes ſe poſſe ſimplicem
aërem, puramq; fontanam aquam,
ſimplicem elementaremq; terram,
flammam quin etiam ignis, in tria
ſua principia, vel 4. elementa redu-
cere & ſegregare, ſed id obtinebũt
opinor, ad Calendas Græcas, fatu-
uum profectò eſt propoſitum quod
æque ſuccedit, ac Paracelſo in ſuo
fimo arbores ex cinere, vel homines
ex ſanguine & ſemine excitanti.
Quicquid enim in miſtis potentia,
non ita ineſt, vt ab homine in actum
produci poſſit, id nemo facile arte
conetur humana euincere: Imo ars
ipſa, ne aggreditur illa quidem, quæ
arte laborioſa educi poſſent aut nõ
ſine

ſine ſumptu & labore maximo fierent, quæ etiamſi fierent, tamen inanis eſſet oſtentatio & vana potius gloria, quã vtilis labor. Quædam ab artificibus fieri non poſſunt, quædã aliquo modo & circumſtantialiter, vt ſi nauis mergeretur in profundũ maris illaq; extrahenda eſſet, vel ſi ex ferro lapides fieri poſſent, ſed tamen ab arte non admitteretur, vel deſtillatione id non contingeret.

Philoſophus quidam credebat ſe orbem terræ moturum, ſi locum haberet extra orbem, in quo pedem figeret. Alius mare menſurandum ſuſcepit, ſi flumina obſtruerentur cunctã. Sed de his ſatis,

CAPVT XI.

De ſale eſſentiali.

DE ſale, Paracelſici multa ſcribũt atq; dicunt facete, vix illis verborum copia ſuppetit, qua omnia illius myſteria & vires in morborum præſeruatione & conſeruatione e-

nunciẽt. Nuper quidam verum ſulphur ex ſale produci docuit cum aliis, vt illis videtur, ſit balſamus & mumia, qua vt demortuorum, ita & viuentium corpora poſſint incorrupta ſeruari, nihilominus interdum etiam fatentur vt philoſophus ille, ſuibus ſalem loco animæ datum eſſe, vt ſic interdum etiam anima cum calore natiuo, & humido radicali, nec non ſpiritibus vitalibus, velut balſamus ita & ſal appelletur. Autor cenſet arcanum eſſe eximium, poſſe ex herbis ſalem conficere, de quo ipſa teſtatur experientia, poſſe ex mineralibus vegetabilibus & animalibus ſalem extrahi varium. In natura elemẽtari reperitur ſal vel coagutus vel ſolutꝰ qui in aqua ſubſiſtit, ex qua ꝑ expirationẽ, mediante artificio extrahi poteſt, vt in ſalis coctura, ſalis petræ confectione & coagulationibus naturalibus à Sole patet.

Talis ſal coagulatus factuſque varius

rius eſt, vtpote communis ille ex mu
ria naturali, ſal petræ, ſal Ammonia-
cus, nitrum, aphronitrum, ſal gem-
mæ, borax, &c. qui omnes ſunt mi-
nerales fere, etſi ſal petræ & ſal ni-
trũ etiam animalia & vegetabilia ex-
iſtant, prout ex vrinis, cineribus, cal-
cibuſque exhauriuntur. Atq; apud
Orientales in ipſis foliis ſalicum à ſo
le coagulante ſal nitrum reperiri po-
teſt. Sal vrinæ (ſiue ex ſeſe abſq; ad-
ditione vlla, ſiue cum aliis conficia-
tur) ſal Ammoniacus qui & Arme-
niacus dicitur, (quamuis aliqui per
ſalem Ammoniacum illum natura-
lem intelligant, per Armeniacum
vero illum qui artificialis eſt, ex Ar-
menia primo allatus) ſal gemmæ, vel
cryſtallinus, ſal petræ & nitri, ma-
gnam inter ſe habent ſocietatem,
quique ex mineralibus extractus eſt
huius vt plurimum eſt fortis, vt i-
pſe etiam ſal marinus, & ſal arbo-
rum duriorum, veluti quercinus, Li-
thanthracis & ſimilium rerum fa-
cti-

ctitius: cum sale Naphtico in Babilonia & Iudæa sale Tartari & similib. vbi nitrum interdum cum sale coniunctum est, interdum tamen secretum & singulare. Potest tamen sal Petræ, & sal vrinæ factitius à Nitro separari, perinde vt ab alumine vitriolo & cognatis. Atque ex hac doctrina patet arcanum in lapide philosophorum minerali, ex qua quid sal fusilis sit agnosci potest, vtque sal petræ & sal Ammoniacus, cum sale Tartari in liquidam nitrosam naturam quæ facile transmutari, fixa & volatilis reddi potest, conuerti queat. Aristotelis est sententia salem nō posse liquari, sed de communi intelligendum, qui difficulter igne liquescit, verum artifices vt & autor noster parant salem ex eo fusum, qui excandefactus dicitur pag. 112. norunt & figuli atq; vitrarii in lapideam & vitream substantiam vertere. Est sal qui cōtinet pingue quiddam, vt Naphticus, & flos Nitri qui halosan-

ſanthos(nihil aliud exiſtens , quam bituminoſa coacta pinguedo, ſale & nitro permiſta,ſperma cete alias vocata,etſi vulgo non ita vt antiquitus creditum eſt collectum)ſic & ſal vrinæ habet ſuum ſulphur, vt ſal fuſilis Chymicorum, ſal alcali & fere eius generis omnes ſpecies quę è vegetabilibus & mineralibus petuntur,niſi ſeparentur,ſecundum magis & minus:vnde & liquor ex illis confectus interdum oleum nuncupatur, alias oleum Tartari,&c. Tyro chymicus hoc breuiter conſideret,nihil temere dictum de ſale quia enim in omni bus miſtis etiam imperfecte compo ſitis, vt aqua pluuiæ, &c. inuenitur, etiamq; ex vrina ſal Chymicus præparetur.aiunt materiam lapidis vbique inueniri,in fimetis,cellis,&c eſſe rem fœtidam , pedibus omnium ſubſtratam,quemlibet ſecum circũferre,&c. Veriſſimum, ſalem petræ, ſalem Ammoniacum & ſimilia vbique haberi,& quia vis medica in illis ab-

absconditur, atque nutrimentum, potissimum vini (ex quo Tartarus) cum substantia (nutriti) assimilari necesse habeat, reliquiæ etiam referant naturam essentiarum. Præterea lapis ipse philosophorum huius esse naturę credatur, ideo cogitationes hinc de morbis Tartareis ortæ sunt, & de curationibus per similia & de vniuersali, quæ omnia in suo genere tantum pondus habent, quantum experientia cognitum. Ad hæc enim sola speculatio non sufficit. Sal in mistis, est vel actu vel potentia, qui si separandus sit, præparatio certa requiritur, prout vel in superficie vel in recondito inuestigatur vel artificiose res fuerit tractanda. Exigui laboris res est ex Nilo vel mari salem segregare, vt ex aliis etiam muriis, lixiuiis, vinis, &c. non tamen caret artificio & dexteritate.

Differt coagulatio qualiscunque ab artificiosa puri salis confectione, quo etiam medicamina quædam re-

qui-

quiruntur interdum, non enim quæ libet aqua ſalem corporeum ſecum fert, qui leui negotio extrahatur, illius fixatio prius procuranda eſt, ſi enim volatiis permaneat, vt nitroſæ aquæ, apud Plinium quædam, inanis eſt labor vel nullius momenti, nihilominus magnos ſumptus poſtulat.

Creditur lapis philoſophicus inter alia etiam præcipitare ſalem in aquis poſſe, vt & figere & ſeparare.

Verum equidem eſt, eſſe quędam medicamina, quibus in vino Tartarum ſegregatur, ſpirituſq; coagulabiles figuntur, vt in aqua forti argentum, in ſolutionibuſq; per ſalem & aquam ſalſam, in atramento ſutorio per ferrum, in muria per cereuiſiam atq; ſanguinem, &c. Noti etiam ſunt in metallicis pulueres aliqui præcipitantes, de quib. in Alchymia, verũ meo iudicio lapis ad hãc rẽ nimiũ eſt precioſus, quodq; eo reducẽdꝰ ſit extra

tra ſpem poſitum eſt. Sal ſi actu fuerit in ſiccis rebus & ſubſtantiis ſponte ſeparatus, facile abſtrahitur: ſi vero cum venis metallicis terra & aliis impurioribus ſit miſtus, prius in muriam vel dilutum ſoluendus eſt, filtrandus & coagulandus: quod ſi cũ aliis ſuccis copulatur, vt cum Nitro, alumine, atramento ſutorio, pinguedo, &c. de his in Alchymia dicetur vt ſeparanda fuerint, vel depuranda & clarificanda.

Quod vero ſalem potentia in ſe habet, vel virtute abſconditum id ſi minerale ſit, in calcem reducitur: ſi vegetabile & animale in cinerem vritur ex vtriſque fit lixiuium, quod per filtrum traiiciendum & coagulandum eſt.

Quod ſi etiam exaltari debeat ſal elaboratur repetitis ſolutionibus, filtrationibus, coagulationibus, interdum etiam fuſione, ſublimatione fixatione & ſimilibus. Verum vt ſingula in calcem redigenda ſint, Alchy-

chymia tradit. Difficillimum est ex auro salem extrahere, quia pene est incorruptibile, vt & ex Mercurio. Sed nota tamen sunt arcana quædam artificia: Verum cauendum ne à Paracelsi grege alicui imponatur, qui aurum & alia mineralia, spiritus salium soluere solet, vtpote etiam cum menstruis vitriolatis, succo limonum, spiritu vini, tartari, sale & alcalisato atq; aliis in quibus nō semper sal tam spirituosus est, vt reduci non possit. Vbi itaq; cum tali sale aliqua tinctura colore auri apparuerit, illi verum salem ex auri substantia productum ferunt, cum tamē solummodo sit tinctura quædam cum sale menstrui permista, & hoc tolerandum adhuc esset, aliqui vero ex menstruo auri infusi, verbi gratia ex spiritu tartarisato, vel salis viridis, per se, absq; tinctura, salem coagulatum extrahunt, persuadentes rudioribus, salem auri esse. Prætendunt n. quodlibet simile, suum simile attra-

here,& propterea per ſpiritus ſalſū etiam ex auro ſalem extrahi, quēadmodum & Mercurius ad ſe Mercurium trahere creditur.

Sed tandem innoteſcit aquas iſtas ſalſas,ſuas impreſſiones & naturam magis apud aurum & argentum viuum deponere,quā ex illo aliquid aſſumere, id quod notiſſimum eſt probatoribus,qui ideo aurum in reducendo fugax eſſe comperiunt, eo quod ſpiritus ſalſus rapiat aurum & & ſecum auferat.

In præcipitato & ſublimato res adhuc eſt manifeſtior, cum aurum in crocum vel florem reducitur,reddit ſuum ſalem cum vitriolo: Verum id difficulter fit, non enim aurum purum de facili deſtrui poteſt: quod vero cum cupro vel aliis metallis miſtum eſt, veluti Chymiſtæ aurum ſophiſticatum ex ferro vel cum ferro conficiunt, illud quidem exhibet efflоreſcentiam, ſed non de ſubſtantia auri.

Ideoque magnates, qui vt plurimum decipiuntur, ista cauebunt. Si quis vero candido animo fateatur salem suum extractum, non quidem totum esse ex auro, sed tamen aureum tinctura coloratum, cum auri mistura neque ita resolui vt aliarum rerum possit, tum sal iste suo loco est æstimandus, sed ita vt si medicina aliqua esse debeat, quæ intra corpus exhibenda sit, quali cum menstruo sit præparata, intelligatur, assumuntur enim ad hanc rem aquæ mercuriales, spiritus vitrioli, spiritus salis gemmæ liquor salis Ammonii sublimati, aqua regia, spiritus sulphuris, aqua limonum alcalisata, spiritus vini alcalisatus cum sale tartari vel sodæ Gallicæ aut Alexandrinæ, &c. quæ viribus inter se multum differunt, neque æqualiter corporibus prosunt. In aliis metallis fere sal & atramentũ sutorium copulantur, quæ si separandi animus non est, vna etiam possunt vsurpari, sed cum iu-

iudicio. Ex æte, ſcoria, & aliis quæ ex metallis extrahuntur, vel cum illis ſunt coniuncta, ſal quoque educitur, quin & ſalem nitroſum venę ipſæ exhibent, etiam ſine igne.

Alias reuerberatione indigent, calcinatione & ſolutione in puluerem, vt ſolet cum Marchaſitis & lapide calcario agi: lixiuium ſeu dilutũ filtratione & coagulatione peracta, ſalem cum aliis ſuccis, ſi qui adſunt, reddit.

Inter mineralia comprehendi poſſunt quoque animalia & vegetabilia, quæ eiuſdem ſunt naturæ, vt teſtæ conchales, teſtudinum nemoralium margaritiferę, corallia lignũ petrificatum, lapides in animalibus reperti, cornua, dentes, oſſa, ſemina lithoſperni, &c. quæ omnia in reuerberio calcinantur. Quędã more metallorum elaborantur & gemmarum peculiaribus menſtruis, ex quibus extrahitur calx iterum reuerberanda, vt veluti naturam ſalis aſſumat, hu-

humidisq; locis in liquorem diffluat ex quo quod iterum reducitur, sal quoq; appellatur ab aliis solutum sic cum. Verum hi calces resolutibiles veri sales non sunt, etsi aliquid salis habere possint, neq; propterea fraus est, etiamsi artifex dicat esse salem corallorum, salem perlarum, salem auri, &c. cum calcem solubilem intelligat, qui secum salem habeat, nisi alias fallat. Animalia & vegetabilia, quæ minerarum naturas non imitantur, differunt sale: quidam enim sal ex toto petitur, vt Alcali, quidam ex reliquiis combusti, vel ex capite mortuo, alius ex succis inspissatis vel illorum recrementis.

Hoc discrimen etiam in mineralibus obseruari potest, quemadmodum & differentia est in simplicitate & compositione, fiunt etiam sales acutissimi ex capitibus mortuis aquarum soluentium & fortium, quibus probatores vtuntur, &c. Sed in animalibus & vegetabilibus obser-

uatio est euidẽtior & magis pspicua. Si tota ad salem expetuntur, tũ plerũq; incinerãtur in ollis occlusis validisq; vel aliis vasis, vt etiã in globis è luto constructis, &c. id q, accidit per repetitiones reuerberationum, vbi quidem subtiliores spiritus minime retineri queunt: quod enim igneum, aëreum & præterea fugacissimum est, id euanescit, nihilominus figitur aliquis spiritus, vel à fixa substantia retinetur, vt postea vna cum sale copuletur. Quidam herbas supra focum in cineres comburunt, ex quibus lixiuium paratur, &c. de quo consulatur autor operis, qui tamen ipse quoque salem è craneo hominis, prius in occlusis ollis reuerberationem passo, conficit. Processus est, post incinerationem resoluere per aquam calentem, cum vel sine coctione prout sales in elementis fixiores existunt, vt & iuxta coctionem, assidua agitatione & transfusione repetita opus habeant. Autor

tor fere vtitur colatoriis communibus ex ſtramine, pannis , dolio pertuſo, ſoluit ſimul & colat, poſtea coagulat & ſoluit per tabulam. ſolutionem ſequitur filtratio , coagulatio ſecunda, exaltatio , ſuntque diſtinctæ rationes exaltandi, quędam pręparantur ante calcinationem , poſſunt & compoſita fieri, ſed vniuſmodi extractioni ſubiecta.

Menſtruum ſeu liquor extractionis, debet eſſe aqua fontana vel fluvialis deſtillata : alias ſales calcibus & ſale minerali qui in aquis abſconditi ſunt, permiſcentur.

Compoſitum autem paraturus, poteris ętiam alios liquores , vt vinum, &c. vſurpare, quamuis credatur aquarum naturam in cinere abſorberi , ſed id non fit in omnibus, præſertim in ſalſis ſuccis.

Si vero ſal elementalis ex prædictis rebus deſideratur, poſtquam tria ablata ſunt, Saturnum per ſe reuer-

berari ſinunt & tum ex eo ſal trahitur, ac in iouem permutatur. Reuerberatio fit in peculiari vaſe quãuis aliqui maxime in deſcenſione idem adhibeant, & vel in primo igne incinerent, vel nouo reuerberio. Sal eſſentialis fit ex ſucco extracto, vel integro, vt cum herbis integris, vel ex terreſtri & craſſo poſt aquam & oleũ ſeparatum. Notandum tamen eſt, q̃ ſi in veſica deſtillatio fiat & ad ſiccitatẽ deueniatur, adiecto prius herbis tartaro, quod ſupra herbas ad veſicæ parietes, ſal Tartareus ſucco tinctus adhærcat, ſicque ſalem egregium accidentaliter præbeat. Huius generis ſal acetoſus, ex herba acetoſa, ab amico mihi miſſus eſt, qui vna cum ſalſedine etiam aciditatem præ ſe ferebat, vt acetoſa herba ſolet. Et hoc etiam ſæpius in mineralibus contingit, maxime ſi igne valido ſpiritus agantur, ſales enim fugaces ſiſtuntur & collo cucurbitarum atq; alembici adhærere ſolent, vel etiam

Sal acetoſus ex Tartaro herbis miſto.

vna

vna deſcendunt in receptaculum, vt etiam ſublimationem patiantur. Sed in hoc ipſo etiam quædam adeſt fere reuerberatio, quæ ex ſale potentia, ſalem actu efficit, vel ſalem actu ſeparat, & eſſentiam in altum vel in latera pellit. Mirabilior eſt ſal qui ex herbis fit, ſine incineratione, & ideo magis tartarum cryſtallinum, qui ex ſucco perinde vt ex vino & aceto, ſine calcinatione con-concreſcat, quam verum ſalem iudicamus. Rarum eſt vt ſal herbæ odorem habeat, ignis enim ſpiritus diſſipat & temperaturam deſtruit. Quod ſi prius expertum id eſt laborem Chymicum, vel aquam vel oleum vel ſuccum præbuit (cum notũ ſit nihil in reliquiis odoris vel saporis priſtini remanere, modo dextre adminiſtrata ſit talis extractio) igitur tales qualitates in ſale amplius capitis mortui & recrementorum non erunt quærendæ, in tartaro tamen reperiuntur aliquæ & in Cry-

ſtallis, vt in ſpiritu vitrioli coagulato apparet, niſi contingat vt ſal extractus rurſus cum aqua & oleo coniungatur, more imbibitionis vel nutritionis, ſed appellet ſalem qui velit, mihi creduntur cryſtalli Tartari eſſentialis in quolibet ſucco. Qui de ſalibus plura deſiderat, Alchymiam noſtram adeat. Sed mirabitur quis forſitan, cur autor ſales ex reliquiis ſecundi modi extrahere doceat, & nō potius ex ſucco poſt eſſentificationem reſiduo, vel non etiam ex primi & tertii modi fecibus, reſponderet fortaſſis, hic fieri commodius, cum nil alieni ab aqua craſſa elementari, quæ ad veſicam adhibetur, ſalem immutare poſſit, ſed in tertio modo præcipuum in eſſentiam tendere, vt ſic operę precium non eſſet recrementa vlterius tractare. Item in primo & tertio modo magis reſpici plenam ſubſtantiam, quæ ſalem ſuum proportionatum volatilem & balſamum ſecum ha-

habeat, terreum vero relinquat, quemadmodum etiam iſtis duobus modis oleum ſimul ſegregatur: balneum vero ſolum ex ſeſe oleum non educit, relinquit autem ſalem eſſentialẽ pleniorẽ, ideoq; tales reliquiæ commodius ſali elaborando reſeruantur quam aliæ. Et hæc etiã cauſa eſt, quod aquas iſtas cum ſale proprio vigorandas eſſe iubeat, & non primas vel tertias, quaſi hæ ſi recte ſuccedat labor, per ſeſe eſſent conſtantes & efficaces.

Quod vero ad ſalem eſſentialem ex integris herbis ſpectat, docet pagina ſuperior 19. de quo ibidem ex profeſſo tractat.

CAPVT XII.

De quinta eſſentia, de qua autor agit pag. 15.

EX recẽtibꝰ herbis balneo vel fimo putrefactis: autor deſtillat aq̃ hac

hac aqua, extrahit per balneum essentiã eiusdem herbæ exsiccatæ & puluerisatæ, vt extractionũ regulæ postulant: quod ita faciendum: Pulueri affundatur aqua propria, in quintam essentiam redacta, nihil enim aliud quintam essentiam extrahere potest, nisi similis substantia vel cœlestis vniuersalis, qualis ex vino paratur: maceratur digestorio, clauso, duabus cucurbitis bene obturatis, in balneo, diebus 7. vel 9. pro vt essentia elici, & obseruari potest in aqua color, pro natura scilicet tincturarum tum lenissime à spiritibus vel herbis liquor effundatur & custodiatur, quod si tantum aquæ non superfuerit, vt progredi liceat cum nouis infusionibus, vel si in earundem reliquiis tantum virium non supersit, vt ex illis, vel ex nouarum materiarum aut herbarum extractione, donec liquoris satis collectum sit pro essentia, prosequi opus liceat: tum liquor per balneum

mox abſtrahitur, ſpeciebusq; prioribus reddendus eſt. Quod ſi ſuccus omnis collectus ſit, ex ſententia autoris exprimitur, vt ſubtile à craſſo ſeparetur, circulatur in balneo, circulatum vero ad vſum reſeruatur.

Diſcrimen quintæ eſſentiæ & Extractionum.

Ex his percipis quodnam quinta eſſentia ab extractis communibus diſcrimen habeat, quod in 3. potiſſimum conſiſtit. Primum eiusdem herbæ aquas eligere te oportet, ſi haberi poſſint, non vt vulgari modo deſtillatio fieri ſolet, & vnica rectificatione reduci, ſed ad cœleſtem naturam, & quintæ eſſentię finitimam redactam eſſe oportet, hoc enim non ſolum ſuum ſimile extrahit ſed materiam etiam nobiliorem reddit, vt plus eſſentiæ reddere poſſit. Atq; ſic etiam ſpiritum vini in aquam cæleſtem mutabis, quando aquam propriam habere non poſſis in mineralibus, vt in lapide, dum Lullius conatur ſpiritum Mercurii para-

parare, qui est Mercurius philosophorum, ad id opus assumit etiam aquam soluentē cœlestem, ab omnibus elementis, septena rectificatione secretam. Ita in oleosis & aliis, essentiam conuenientem extractiuā seliges, vt spiritum Terebinthinæ, si spiritus vini ad quintam essentiam reductus non satisfaciat, in aliquibus etiam spiritus vrinæ sumitur, sed ex praxi, atq; experientia disces, quæ in qualibet quinta essentia sumenda fuerint etiamsi Lullius in omnibus vegetabilibus & animalibus atq; alii etiam in mineralibus, quintam vini essentiā vsurpent, aliquando alcolizatā & circulatā. Alterum quo hæc extractio à vulgaribus distinguitur, est, quod per cōmmunes extractiones ad quintā essentiam fiat aditus, ita vt succus extractus sit materia quintæ essentiæ, vt autor noster meminit, & tradit, dum scribit, succum extractum per linteum exprimendum esse,

Sed apud artifices alios distinctius ista tractantur, hoc modo. Primũ extrahitur succus herbæ modo quocunq;, vt coctione ex aqua, vel maceratione, & aliis rationibus, accedit expressio & coagulatio, per expirationem aut destillationem vt libitum est, ita vt pristinum menstruum & aquositas tota segregetur. Nihilominus tamen spirituosa substantia in coagulato maneat: vbi phlegmatica humiditas non separaretur, tum liquorem quinta essentia adulteraret, & in operando resisteret. Hic succus postmodum aqua propria cœlesti, vel alia essentiali conuenienti irrigatur *4.* digitorum altitudine, in vase vitreo apto & clauso, per balneum vel Solem, vt occasio fuerit, viterius extrahendus, sine expressione, cauendo ne quid crassi interueniat. Extractiones collectæ in vasis vitreis, bene obturatis, custodiuntur, donec essentia tota sit collecta, tum demũ

aqua per balneum abstrahitur, & ad vsum vlteriorem adhibetur. Sed non ad plenam siccitatem abstra-ctio producenda, nisi spiritus in suo subiecto in balsamum fixum & durabilem sit mutatus: alias omnia extracta deprehenduntur esse efficaciora, si spiritum atq; liquiditatẽ retineant, licet tamen ad tertias vel dimidias abstractionem absoluere, sed in balnei calore, tam blando, vt quam fieri possit aqua lenissime abstrahatur. Quod si hoc pacto fieri non possit sed spiritus essentialis cum cælesti aqua ita fuerit vnitus, vt amplius separari non possit, cum vnita permanent, & coniuncta in vsum veniunt, cum in extrahendo non nimium affundendum, diligenterq; cauendum ne quid turbulenti simul essentiæ permisceatur: Quod si tamen aliquid impurioris materiæ coniunctũ esset, elementaque à prima digestione non remouerentur, repetenda est extractio: Et

Et hoc aliqui ſepties vſurpant, quæ ſecunda eſt reuolutio ſphærarum, vbi à Saturno incipiendo, per reliquos Planetas ad Solem fit progreſſio, vel etiam in Luna ſubſiſtendum. Feces ne proiicias caue, ſed calcinatas redige in ſalem eſſentialem, quem ex Saturno in Iouem transmutas, vel ſolum reſeruans, vel eſſentiæ reddens, vt elixir perfectum euadat: Si oleoſa quædam ſubſtantia apparuerit, illa ſcorſim reſeruanda, vel ſi eſſentia in liquiditate relinquenda non eſt, ſed coagulanda ſit, tum tria illa principia rurſus cõiunguntur, & retinentur in forma coagulata. Tertium diſcrimen in exaltatione poſitum eſt, nam quando iam quinta eſſentia extracta eſt, collocatur cum liquore eſſentiali in Pelicanum ad circulationem, vbi nobilitatur & figitur perpetua reſolutione & coagulatione, donec ad ſuccum perueniat, vel quo vſq; placeat Medico & in eo 7. circulat;

nes quoq; perficiuntur, vt hic sit tertius circuitus astrorũ vel Planetarũ in arte, de quo artifices multa narrare solent. Et sic declarata tibi sunt fundamenta artificiosæ quintæ essentiæ, ex quibus satis intelligis, tres quintas essentias in genere existere posse : vna est extrahens, altera extracta , & hæc simplex vel composita. Atqste præterea etiam hoc notabis, etsi hic tractatus sit plenissime traditus de quintis essentiis absolutis. non tamen omnes gradus Medici semper percurrunt, sed essentias illas ad praxin ita præparant, vt ipsis videntur esse accomodati & sufficientes: accidit enim vt interdum solam quintam essentiam extrahentem speciebus tantũ affundant, atq; hac sola extractione contenti sint. Verum ex hoc deceptores sibi patrocinium non quærant, qui varia extracta rudia pro quintis essentiis venditant, sumentes portionem Rhabarbari, atq;

incoquentes in aqua fontana, exprimentes & ad succũ coagulantes, etiam ad siccitatem prorsus, prætẽdẽtes quintam essentiam esse, quod non solum per se falsum, sed neque cuiuis conueniens esse, perspicuum. Ablatus enim illi suus est spiritus, qui, si extractum tale purgans futurum sit, adesse debet. Et hæc causa est quod multa purgantia sic parata, neq; in propriis aquis destillatis, neq; in succo purgent, quandoquidem spiritus à corpore sit separatus. In officinis pharmacopæorum vulgaribus, reperiuntur extracta purgantia coagulata, vbi tertia pars, verbi gratia scrupul⁹ 1. extracti foliorũ senę tantũ deberet purgare quantũ drachma integra, imo si recte præparatũ esset q̃ integra semũcia. Verũ vice versa fit, vt ℥. 1. minus purget quam semuncia, nisi illi addatur alius vel proprius purgãtis rei spiritus. Et ꝑpterea Medici malunt purgationis infusione q̃ decoctione

parandas esse, nisi spiritus habeant acutissimos & pernitiosos, illiusq; naturæ, vt & spiritus & corpus sufficienter aut etiam superflue purgare possint & per sese, & separata, quemadmodum talium purgantium magna etiam copia esse solet, vel si spiritus tam fixus sit vt non facile resolubilis fiat. Aliquorum florum & radicum aqua stillatitia purgat, feces nihil: In quibusdam contrarium accidit. Quædam vires admittunt vtrobiq;, quod fit ex causis prædictis de quibus in commentario plura audientur, sed vt ad quintā essentiā redeamus, dicimus artis peritum, qui simul naturas specierum probe intelligit, etiam prudenter coniicere posse, quousq; in quinta essentia procedere debeat, aut possit: non enim omnia eodem modo tractari possunt, quædam enim tam sunt subtilia, vt si ter per sphæram essent circumagenda, prorsus euanescerent. Coniiciendum ex natura est, quid

quid adhuc ſuperſit. Quædam enim natura cæpit elaborate, arte id ſupplet artifex: Quædam etiam ipſa natura ſatis prouexit in ſublimia, vt eſſentiam aliquam probe referre queant, id quod in præcioſis multis rebus facile inuenies, vt in Ambra, Moſcho, Zibetho, Gummi prçſtantioribus, floribus tenerioribus &c. quæ eo minus præparatione egent, quo nobiliora illa natura produxit. In minerabilibus, & quæ huius ſunt naturæ, ſæpe multi laboris res eſt, latet enim quinta eſſentia in aliquibus alte ſubmerſa, quę ſçpius per reuerberationes, ſublimationes, ſolutiones &c. eſt exhaurienda, plerunque etiam forma coagulati & florum conſeruatur, quamuis aliqua etiam poſſint in liquorem, oleum & ſpiritum mutari, pro vt rei cuiusque natura fert, vel medico & artifici lubet. Ad quintam eſſentiam aliqui etiam referre ſolent primam materiam, Ens primum, atque tin

ctuAras, fiat ſane vt arcana iſta etiam ad quintam eſſentiam reducantur, nihilominus proprio quodam modo differunt, vt in Alchimia docetur, vbi etiam patet, quod graduationes admittant, interdum artificio leui, interdum vero maiori elaborentur, & ſic interdum ad extractorum ſimplicium claſſem aſcribi poſſent, interdum ad eſſentias quintas. Sed de hac re litem non excitabo, reprehenſores tamen ſciant, laborem & eſſentias non vnius modi eſſe, tincturam & quintam eſſentiam parare, etiamſi in aliquibus participare poſſint. Quod autorem porro attinet, explicabitur cum de extractis agitur, de quibus mox.

CAPVT XIII.

De Extractis & illorum menſtruo.

EXtracta in ſpecie dicta autor noſter appellat ſuccos nobiliore ſpi-

ſpiritu vini extractos & in minorem contractioremue quantitatem redactos, variis vitæ humanæ neceſſitatibus deſtinatos. Appellamus etiam eſſentias extractas, ſine additione, quintæ, idq; potiſſimum per menſtrua appropriata, vel foris addita, vel ex iisdem deſumpta. Quædam enim liquorem ſecum ferunt, cum quo ſucci exprimuntur, vt Limonum, Citrorum, Arantiorum, Ceraſorum &c. quæ pro elaboratione & naturæ ſuæ proprietate etiam iudicantur & æſtimantur. Vſitatiſſimum eſt, artificioſum extractum in ſpecie id appellare, cuius eſſentia per menſtruum liquorem extrahitur, deinde menſtruum ſeparatur, ſuccus vero (ſeu eſſentia) ſeparatim aut ſiccus aut humidus aſſeruatur.

Vnde etſi ex aliis rebus ſucculentis ſimiliter ſuccus quidã exprimi queat, vt ex vuis muſtũ, ex fauis mel &c. hi tamẽ ſucci extracta artificioſa

apud Chymicos dici non merentur, ita vt si ex vuis essentia paranda foret, quæ extracti nomen adipisci posset, illæ prius exsiccandæ & per menstruum extrahendæ essent. Sed ista non perpetuo tam angustis limitibus comprehenduntur, vsus gratia, eo quod etiam communes succi sæpe cum extractis conferri soleant, siue coquendo siue exprimendo fiant. Et sic saccharum, mel, sapa cereuisia, vinum, horumq; coagulata & succi sapales aut inspissati, etiam aliquo modo fiunt extracta quę tamen alias apud artifices etiã materiæ extractarum essentiarum dici solent. Dum vero specialia extracta per infusionem, coctionem vel alia ratione parantur, essentiam oportet ingredi liquorem: hic liquor essentificatus (vt quidam loquuntur,) vel essentia imprægnatus, non semper coagulatur, aut separatur ad succum coagulatum (vulgo inspissatio dicitur,) sed circulatur tan-

tantum, vt feces solum separentur, vt sic essentia cum menstruo proportionato maneat & vna adhibeatur, sic fit modus Zulapiorum, Syrupорum, vinorum medicatorum, &c. quæ vt eo diutius durent, menstruũ oportet cælestem & incorruptibilẽ naturam possidere, nisi contingat vt cum sale proprio rectificetur itaque cum de extractis sermo est, coincidit & idem negotium: Et licet inspissati sint ad siccitatem vsq;, vel ad cõsistentiam succi condensati & perspicui (quæ ratio in vegetabilibus & animalibus artificiosior est) redigatur, sæpe tamen contingit vt dilui rursus opus habeant & dilatatione, & æque fiunt Zulapia, vina medicata & similia vt prius. Ideoque tales formæ si prudenter producantur, non prorsus repudiandæ sunt, nihilominus tamen artificiosius est & pręceptis chymicorum affinius, ne per se omne menstruum apud vllum extractum relinquatur, sed separetur,

donec ad debitam densitatem & consistentiam perueniat, esset enim potius translatio quam extractio.

Huc pertinent fere omnes essentię quint. Lullianæ, quas simpliciter & nude solum per infusionem materiarũ in quint. essentia vini cõficit.

Non equidem sunt rudia extracta (nam extracta non habent vniusmodi exaltationes) sed nobilitata ob menstruum cæleste, neque tamen veræ sunt essentiæ quint. vt ex capite priori patet.

Autor recenset inter succos extractos, quos duplici ratione parat, vna fit per spiritum vini, altera per liquorem rei cuiusque proprium, quatenus haberi potest.

In prima ratione docet ante omnia conficere spiritum vini artificiosum, vel vt aliis appellatur, essentiam quint. (licet hæc reuolutione vnoque gradu excellat spiritum vini) deinde quomodo in extrahendi modo cum illo sit procedendum:

Ter-

Tertio quo pacto extractio coagulanda & in formam certam redigenda sit. Spiritus vini paratur ex vino ſublimatò, quod apud Chymiſtas præſtantius fit ex vino vel fecibus vini & rectificatur. Quidam appellant vini ſpiritum, quando is quater deſtillationem fuerit expertus & totus exuratur, hoc ſigno nihil amplius reſtare aqueæ ſubſtantiæ perſuaſi, cum ſcilicet linteum eo imbutum & accenſum, vna conflagrat, nihilque humiditatis obſeruatur, non vt alii tradunt linteo incorrupto remanente, ſolo vino deflagrante, ſignum enim hoc eſſet aquoſitatis in ſpiritu vini attractæ à panno, quæ eum à flammæ conſumptione defendit, ſpiritus iſte quidem ad extracta ſatis eſt conuenientiſſimus: & licet aliqui ad ſeptimam vicem ſublimationem vini repetant, non tamen ad extractiones, ſeu ad extracta in ſpecie ſic dicta id neceſſarium eſt,

ma-

manet tamen ille etiam ſpiritus,ſed, quintæ eſſentiæ proximus, cum nil deſit illi præter Pelicanum.

Autor noſter primum deſcribit modum ſpiritus vini parandi per veſicam,cum refrigeriis & ſerpentinis, ex quibus ſtillare docet ſpiritum vini duobus inſtrumentis ſatis artificioſe.

Primus eſt qui ſit in cucurbita cũ charta per alembicum,alter in phiola etiam per alembicum ſed abſq; interiecta charta. Papyrus autem illa ſeu charta duplicata, quadruplicata,vel etiam quintuplicata) ideo inter alembicum & cucurbitam interſeritur, vt ſolum ſpiritus permeare, aquoſitas vero retineri poſſit. Aliis tamen id neceſſarium minime videtur, cum conſtet raro ſpiritum vini poſt humectationem chartæ, eandẽ etiam non perforare,imo ipſe obſeruaui inter coagulandum,ſpiritum aquoſum penetraſſe papyrum quadruplicem & ad lapidem inſtratum

in aquam conuersum esse, ideoque plus solicitudinis habetur in alembico & vase receptaculi: dum enim spiritus ascendunt, nil apparet vndosarum venarum aut guttarum in alembico, sed imperceptibili quadã ratione colliguntur in recipiente, vt in terebinthina, succino & aliis, dum ab illis oleum spirituale separatur. Potest tamen & charta etiam à spirituum copia erodi, quæ si humida euadat, non propterea signum est aquositatis spirituũ: nam cum phiola aut collum cucurbitæ in frigido reponatur, charta vero fuerit crassa æque inibi spiritus colligitur & coagulatur in liquorem, qui humectat ac si in spiritu præparato, suis signis cognito, charta imbueretur, nihilominus tamen verus spiritus citius penetrare deberet, quam vt in charta concresceret.

Ideoque hoc ipsum non quidem reiicitur, sed tamen non esse adeo prorsum necessarium asseritur: & quia

quia lentiſſime, mitiſſimo calore res perficienda eſt, ne ſpiritus confeſtim in alembicum pellantur, ſuaque coagulatione & chartam humectent,& in alembico vndulas excitent: hoc in caſu magis reſpicitur finale ſignum, ſiue per chartam ſpiritus præparetur, ſiue per alias vias, quas compendioſas duxerit quis, nimirum vt ſpiritus vini ſit præparatus, cum notas ſuas exhibet tales intuitu,odore,ſapore,conſumptione totius in cochleari argenteo, non vllo humido relicto, tum etiam celeri extractione & ſegregatione vel leniſſimo calore.

Ita etiam in B.M. per alembicum ſublimari poteſt ſine charta, & etiam ſine phiola.

Si tantum arrideat per cucurbitam & per phiolam proceſſus, & liberum eſto.

Ego aliquando ſic feci periculum: Spiritum vini bonum miſi in phio-

phiolam satis amplam, collo procero, in medium illius spongiam inserebam filo alligatam, collum illius contexi triplicata charta, ceraque obstruxi, admoto pileolo, educebatur spiritus in balneo lenissimo, sed mox charta perrupta spiritus cum impetu ascendebat, ritu turbinis, tertia parte sublimata destiti, & in reliquis obseruaui oleum, spiritus autem in recipiente notas suæ perfectionis sustinebat inter comburendum, qui acer erat & penetrabilis, & talis quidem acrimonia in spiritu ferri potest: at si hoc modo essentia quint. paretur, tum suauis, cælestisq; quædam vis & qualitas obseruari debet.

Plura de vini spiritu docet Alchymia nostra. Neque te perturbet, si hoc nomine spiritus vini, alia etiam essentia indigitetur, nos intelligimus ista de quibus sermo erat. Cur autem spiritus talis nil elementaris aut humidæ aquositatis habere de-

debeat,hanc rationem autor reddit videlicet ne extractum adulteretur, & dum crederetur essentiam esse puram & synceram,inueniatur esse per mistam aquositatem elementarem, nam cum illa sit grauis, inter separandum relinquitur, nisi forte extractum prorsus exsiccandum sit.

Extractionum processus satis est liquidus ex autore,qui fit secundum modum tincturarum.

Herbæ, & materia quæuis vel quicquid extrahendum venit, id omne debet esse selectum,purum,exsiccatum, & comminutum mediocriter(nam vt supra ostensum, si odorata & spirituosa nimis laboriose & diu conterantur,spiritus nobiliores dissipantur) quod enim alienum humidum secum habet, id spiritum extrahentem retundit, instar aquæ quæ vim ignis prohibet, vt in interiora non penetret.

Neque etiam quicquam debet esse admixtum alieni, vt essentia pura

&

& integra remaneat. Quæritur an etiam ex nocentibus extrahatur essentia, & putant aliqui spiritum vini nil assumere, quod non itidem essentiale fuerit. Vel vt & alii quadam phantasia ducuntur, quintam essentiam salutarem, non in se recipere ens veneni, sed solum medicinale. Verum vt hoc falsum est, ita alterum futile. Tu nisi inutiles facturus es sumptus, elige meliora, quæ irrigentur spiritu vini ad eminentiam 3. vel 4. digitorum, obstructo vase, agitetur sæpius, adhibe calorem mediocrem vt spiritus non dissoluatur, sed ad operationem solum excitetur: Color dum mutatur, commoueri & agitari debet, rursusque ad quietem deponi: quod dum aliquam crassitiem adeptum est, decantandum est ad purum sine omni expressione. Reliquiis affundatur nouus spiritus, fiat vt ante donec calorem amplius nul-

lum remittat: Vel si specierum illarum magna sit copia, aut animus esset inde parandi salis, donec potiores essentiarum partes eductæ sint. Quod vero in cucurbita relinquitur, dum adhuc madidum est, exprimi poterit, & si vires adhuc insint, pro extracto communiori vti licet, sin minus id placet, extrahe spiritum ad siccitatem vsque, feces reuerberentur & ad sales perducantur, quos cum extracto miscere poteris: essentiam autem vini tinctam paulatim è singulis extractionibus in cucurbitis colliges: vbi inter residendum feces crassiores secretæ fuerint, purum defecatumq; separabis & cucurbitam mundabis, tumque spiritum sublima balneo temperatissimo, ita vt ab illo tertia pars vel quantum placuerit remaneat. Arte autem debet præparari, ita vt liquidum & tenue existat, instar succi pellucidi & puri.

Autori duæ ſunt formulæ, vna eſt ſuccus pellucidus, altera Pulvis ſiccus. Sed cauendum in Puluere, ne amittatur eſſentia ſpiritualis. Si craſſam conſiſtentiam deſideras, coagulabis, ſed non in aperto vaſe, verum in circulatorio. Poſſunt quædam eſſentiæ redigi in puluerem, vt minerales, quæ quia ſpiritus fixos habent, etiam in aperto, vel in Sole poſſunt exſiccari expiratione. Sed vegetabilia & animalia potiſſimum volatilia iſtud non ferunt.

Mallem tibi autor eſſe, vt ſpiritum tuum vini abſtraheres, ad conſiſtentiam liquidi ſalſamenti, vel ſapæ & inter abſtractionem probares, an aliquid adhuc ſpiritualitatis eſſentiæ ſpiritus reſipiat, quod guſtus & olfactus facile tibi prodet. Vbi vero ad conſiſtentiam deduxiſſes, & aliquid etiã inſitarum viriũ per alembicum ſublimatum eſſet & tamen optares eſſentiam ſiccam, tũ deſtilla-

tionem ad melleam crassitiem vrgeres, destillatum vero vase peculiari exciperes & seorsim etiam custodires: succum vero è cucurbita exemptum paulatim longoque tempore sponte ad siccitatem peruenire sineres, quod dum in vsum vertere velles proprio spiritu prius dilueres & permisceres, vel forma siccarum pilularum aut pulueris exhiberes, aut vna commisceres.

Quidam spiritum abstrahunt ad oleosam consistentiam, quam saccharo puro infundunt, alii admiscẽt gummata, vel succos tenaces vt cõcrescant.

Extractum compositum. Qui extractum compositum est facturus is ingredientia primo iuxta proportionem & conuenientiam admisceat ad similem operationem vel essentias contemperet, dum adhuc liquidiores sunt. Stultum valde est, ex diuersis rebus, quæ diuersa etiam menstrua postulant, neque vno resolui possunt, velle extracta para-

re

re, vt illi faciunt qui perlas, corallia, aurum, argentum, gemmas cinamomũ, caryophillos, nucem moſchatã, macin & alia ſimul & ſemel vna cũ ſpiritu vini extrahere conantur. Si omnino ſimile quid tentabis, tum præparentur illa, vt æque ad potentiam proximam, deueniant atq; hæc. Sed melius eſſet quodlibet ſeorſim extrahere & vltimo commiſcere.

Et ita præſtabilius eſſet, ſpecies minus precioſas miſceri, vt in officinis fieri ſolet cum laudano opiato & aliis, ſed ſimplicia tantum quorum vnumquodque debito modo prius elaboraretur deinde eſſentiæ in elixir redigerentur.

Dum ſpiritus vini ſeparatur, ſæpius apparet oleum vel innatans & reſolutum aut punctatim & granulatim cum extracto, idque in coagulando relinquere poteris, eſt enim balſamus illius & arcanum, ſed de hiſce alias.

Extractores vulgares, loco ſpiritus vini, ſumunt vinum illud ſublimatum, quod nequaquam perfectũ eſt, cucurbitæ indunt amplæ, inſerentes ſpecies omnifariam, chartam circumligantes aut etiam luto adſtringentes, etiamſi ſpiritus per chartam & membranas permeet, parum tamen id curant, cum illorum aqua ardens paucis ſit ſpiritibus prædita, collocant ad formacem, vel etiam in cinerem calentem foci, aut catini expectantes colorem, ſi ſufficienter incraſſetur, effundunt, per manicā exprimendo, ita vt puluis tenuior vna cum liquido exeat, idq; dein deſtillantes in cineribus, vel arena, coagulant, vbi ſæpe cum vinum ſublimatum præſtans fuerit, violentos eſt cernere diffultus, ſubtileſque eſſentias vna per alembicum præcipitari, in fundo remanere feces, ſicque illis præſtantiſſima extracta creduntur. Medici vulgares, qui chymica explorata non habent, negligentiā

iſtam

istam & imposturas non intelligunt, vel talis fumus illorum oculis obiicitur, vt minus curiose investigantes, inter visitandum transire ista patiantur. Notandum istum modum extractorum, qui fit per spiritum aquæ pluuiæ, vel roris, aut per commodas aquas, à quibus oleum fuit eductum, non esse reprobandum, modo satis ex arte fiat, secundum analogiam spiritus vini: sed quia ista plus corporeæ habent molis, quam nobilis ille spiritus vini, ideo adhibenda sunt ad res rarioris & laxioris, minusque fixæ substantiæ, maceratioque per balneum diutius continuanda, vel etiam in diplomate bene obstructo aliquantum coquenda, expressione prorsus interdicta, nisi contingat vt tale extractũ solum materialiter sit in vsum vertendum, illaque per spiritum vini ratio, huic præmittenda sit, vt nimirum in prima pręparatione rudia solum elementa separentur, in se-

Vsus extractorum. cunda vero essentia à succo extrahatur. Ad vsum extractorum quod pertinet illorumque virtutem, autor illis tribuit quamplurima, nec immerito si recte parentur. Commendat illorum vsum ad omnia vina medicata, vbi tu simul compendium syruporum, Zulapiorum, Ecclegmatum, aceti compositi miuarum & similium colliges, quæ si longe gratius & suauius ad vsum adhiberentur, minus corrumperentur & vtiliora essent, non quod syrupos & similia improbare velim, sed quod modū præparationis & conseruationis, si non omnem, aliqua tamen ex parte emendatiorem videre cupiam: sed ad id consensu foret opus, omnium medicorum alicuius prouinciæ, solus enim id obtinere nemo poterit, nisi peculiari sit instructus officina, & solus medicinam faciat, propter vnum medicum solum, pluribus tamen eodem pharmacopolio medicis vtentibus officinam suam phar-

pharmacopola mutare non poterit. Conſiderandus tamen etiam ſimul eſt modus vnionis, per fermentationem diuturnam, quo Heterogenea ſimplicia omnia, ad vnam aliquam formam miſtionis reducuntur, vt in opiatis, & propterea aliqui exiſtimant ſyrupos ita conſeruandos vt præſcripti ſunt, & experientia cogniti ſi enim ad liquorem reponerentur, fermentationi aliquid decederet &c. ſed breuis eſt reſponſio, ſuccos extractos æque poſſe cõmiſceri & circulando in conſiſtentiam mellis fermentari, copioſus liquor plus impedit, quam promouet, ipſaque experientia cognitum eſt, quod facile ſyrupis decipiamur.

CAPVT XIIII.

De Aquis Vitæ ſeu aureis dictis.

ANtequam autor ſecundum modum extractorum per ſua pro-

pria menstrua aggrediatur, aliquid de aqua carbunculari seu aurea tradit, quæ etiam aqua vitæ & aqua cardiaca, propter spiritum vini cognominatur. Sunt autem aquæ illæ aureæ, nihil aliud præter quam aquæ roborantes, pro confortatione caloris natiui & spirituum cordis, ex quamplurimis simplicibus confortandi vi præditis, herbis, floribus, seminibus, radicibus, aromatisq;, cum vini spiritu, vino Maluatico vel similibus per digestionem, destillationem, circulationem, in modum quintæ essentiæ præparatæ, pro vt etiam interdum quintæ essentiæ compositæ & elixiria dicuntur. Quidam aureas appellant aquas, potissimum cum aurum in illis soluitur, vel tinctura Solis accedit, vel aurei etiam candentes in illis extinguuntur. Circumforanteis in more positum est, vt auri folia laminata infundant vino sublimato, idque accendant, & saccharum candisatum

tum

tum inſpergant, donec ad aliquam craſſitiem deueniat pultisque formam agitatione acquirat, & aurum comminuatur, addentes inſuper aquam cinamomi, vel aquam antipilepticam Langianam vel ſimilem, hancq; auream ipſi appellant: neq; tamen omnino repudianda, plurisque facienda eſt, quã ſi aurum foliatum in aqua mellis, vel ſpiritu vini conteratur, & pro aqua aurea diuẽdatur: ſed tamen non eſt vera, ad quam tinctura opus eſt. Dicuntur quædam aureæ eo quod vires quaſi aureas habeant, etiamſi nihil accedat auri tincturæ vel calcis, atque ita carbunculares dicuntur, quæ cõtra peſtem faciunt, & tincturam carbunculi habent, vel vna cum calore igneo vires vitales veri & philoſophici carbunculi ex auro extracti æmulantur, & vario modo præparantur.

Repudiat autor modum illum vſitatum, quo herbæ & ſimplicia aqua

aqua ardenti immacerantur, & postea in B. M. vtcunq; destillantur, vt sola aqua ardens ascendat, reliquũ abiiciatur, vel si quis Apothecarius ingenio valet, rusticis inde conficit electuarium cordiale, addendo parumper sachari vel mellis, quod quidem nisi exustum sit, vires melius illis restituit, quam aquæ stillatitiæ solent ægris, qui tamen integram compositionem persoluere coguntur.

Ideo autem modus iste ab autore improbatur, quod tales meliores partes in fundo relinquant, parum saltem alteratæ aquæ ardentis eliciant: Ait insuper spiritum vini cœlestem, teneras essentias secum in sublime per alembicum educere non posse, quod tam cito illas non valeat resoluere, & manifestum sit vires in fecibus remanere, quæ tamen lege artis deberent esse caput mortuum: vinum autem illud destillatitium parum habere saporis in-

ingredientium ſimplicium. Hoc nõ ita accipiendum eſt, quaſi autor nollet quicquam virtuoſi per alembicum duci poſſe, vel quaſi eſſentia non poſſet reſolui & ſpiritualis euadere: ipſe enim ſuperius docuit, quo pacto olea per alembici faſtigia propellantur: ipſe etiam aquas è cinamomo parat: præterea ſenſibus obuium eſt, niſi extracta calore balnei mitiſſimo ſeparentur, quod ſpiritualis illorũ tinctura vna in alembicum agatur. Arbitror igitur illum repudiare modum iſtum, comparatione factaq; collatione cum ſequẽte: Deinde habita ratione negligentiæ & imperitiæ, aut etiam fallaciæ laborantium, qui ad talia deſtillata multum poſtulant auri, gemmarum margaritarũ, corallorum &c. qui tamen vini ſpiritum, leuiter vix tinctum, inde detrahunt, aurum vero & reliqua ſatis apte norunt ex fecibus colligere, vel electuarium præſtans ex iisdem, aut ſyrupum ex ſpe-

ciebus

ciebus illis cõficere solent. Sciendũ autem est balneũ, quod pro natura aquæ ardentis leniter est parandum essentiam non educere, nisi prorsus sit volatilis, sed solum separare: vesica tamen, cinis & arena illam educunt: sed vt supra quoque dictum similia ad macerationem eligenda, vel ad similem solutionem redigenda sunt. Si quid virium residuum in fecibus fuerit, opus persequendum, vel nisi adustionem aut corruptionem senserint, ex nouis vlterius macerandum. Commoda est ratio illa, si quæ per alembicũ educi possunt, similisq; fuerint solutionis, cõmista ad digestionẽ vna collocẽtur, postea exprimantur, expressa vero rursum debito vini spiritu, aut vino Maluatico (vel alio etiam idoneo ad solutionẽ liquore, vt aquis Rosar. aqua Borrag. vel aceto destillato &c.) digerantur & quasi extractũ inde paretur, hocq; porro cinerib⁹ destilletur, ita vt essentia vna ascẽdere cogatur, quæ nisi prima statim vice descen-

descenderet, repetitur digestio & destillatio, ne tamen materia in fundo aduratur: si quæ vero mineralia fuissent addẽda, illa ꝑ se solaq; dissoluta esse debebũt, vel in aquã tincturã, vel calcẽ subtilẽ redacta posteaq; cum destillato circulata acrimoniã horum, cũ extracto sacchari facile cõtemperare fuerit & veluti figere, ne volatilia nimium fiant, sed illud imitetur ꝗ velit: Autor certe melius consulit, quam vulgo est vsitatum, permanet in suis extractionib⁹, materias conterit & in puluerem comminuit, affundit spiritum vini, vel Maluaticum, suumq; mensem macerat, dies 9. vel 10. Tincturã paulatim deponit, cuius specimẽ licet reseruare, reliquũ vero segregat in balneo ad debitã consistentiã, qua habetur succus extractus: spiritum separatũ reliquiis reddit (quæ de nouo possunt contundi & subigi) sicque vt prius procedere solet. Et tum colligit 1. spiritum alteratum

2. ex-

2. extractum tenue & pellucidum, balsami preciosi instar. 3. Spiritum vitæ tinctum. Quartum vero quod attinet, quo se ex reliqüiis ter exhaustis, cum melle electuarium parare posse confidit, parui est momēti, satius fuisset feces illas reuerberasse in cinerem, & inde salem extraxisse, quem postea imprægnare posset spiritu vitæ tincto, quantum necesse foret, at vt suauius redderetur, cum extracto sacchari permisceret, idq; mea opinione foret elixir præstantius, quam electuarium ex elementari capite mortuo. In formulis harum reponitur interdum admista portio Ambræ, corallorū camphorū similiū, meli⁹ esset, corallia prius esse calcinata, postea cum aceto soluta & extracta, ad solutionem subtilem. Ambra & camphora, in elixir suspendi possent, promptius tamen alias in oleum redigenda. Sunt ista suâ natura statim res essentiales, camphora plerunq;

runq; per ſublimationem depuratur. Attamen ſi cui placet iſta ſimul ad digeſtionem ſumere, periculum faciat, quamuis ratio illa præſtaret. Si cui etiam perſuaſum eſſet, corallia integra, plus occultarum virium poſſidere quam calcinata, & quod iſta per ſpiritum illorum, in menſtruum deſcendant, is primo puluerem corallorum in ſpiritu vitæ tincto extractoque digerere, ab eodemq; poſtea ſeparare corallia, reuerberare, ſoluere & in alcali transferre, celeriterq; ſucco commiſcere poterit, ſicq; totam eſſentiam introducet, quæ alias inter feces ſubſidet vt aurum, argentum, margaritæ, gemmæ &c. vt in cinere trochiſcorum fumalium fieri ſolet. Quæritur vtrū liceat conſeruas ſaccharo præparatas, dictis ſpeciebus commiſcere, ſiue aqua vitę ducatur per alembicum, ſiue non. Conſulerem ego prius reliqua extrahenda, & quod per alembicum exiſtet vel ſolum ef- *Quæſtio.*

fusum esset, illud pro maceratione conseruarum adhiberetur ad congruum tempus & extraheretur pure, vel etiam per circulationem: ita permanerent spiritus vniti & integri. Et licet prætendas omnes conseruas habere succum quendam aqueum, qui essentiæ obesse soleat, spiritusq; supprimat: ego tamen censeo tam exiguam quantitatem officere non posse: quin hoc pacto etiā figat & contemperet, si illas non in totam aquam vitæ poneres, sed in aliquam illius partem, qua succum extraheres, & tum reliquo hanc quoque adderes, sin malles spiritus rursum exaltare, & aquam nobilitate, commodam inuenires rationem per circulationē in Pelicano.

CAPVT XV.

De altero extractorum modo.

PRimus erat per spiritum vini & menstrua debita, secundus vero qui sequitur, perficitur per cuiusq; rei ꝓpriam aquam, si haberi possit, q̄ paretur ex herbis virentibus parum

in vmbra prius tabefactis, & dein destilletur & rectificetur: Eas quidã irrigãt vino pauco, licet iniicere quasdã guttas spiritus vitrioli, si occasio resq; ferat: Licet etiam aquas facere per vesicã, stufam siccã, vel balneũ, vt initio expositũ est. Arida, aqua Roris stillatitia vel spiritu aquę pluuiæ imbuẽda, & quasi vigor cõcilãdus, maxime vbi vinũ locũ nõ habet vel similia. Aqua vero separata, proprio suo sale acuenda est, rebus destillandis, simplicib9 & cõpositis affunditur, Sole vel calore analogo digeritur, mense suo exprimitur, tertioq; de nouo rursum affunditur: expressiones istæ destillandæ sunt per lacinias bis, vt feces secedãt, repurgatũ seu filtratum (hoc est per filtrũ vel lacinias colatum) clarefactum, lenissimo balneo, per destillationem, à succo segregatur: liberumq; est vel ad siccum, vel ad aliquam liquidiorem consistentiam reseruare. Refert autor hoc pacto

etiam licere electuaria potiones,pilulas & alia extrahere, hocq; de electuariis & pilulis facile percipitur,vtpote quę cum aquis stillatitiis conuenientibus, vel etiam iuxta primum modum,cum spiritu vini, vel aquis vitæ extrahi queunt, deinde filtrari coagulariq;. Potiones vero & decocta purgantia, postquam in vase coopertò aliquandiu steterint, torculari exprimuntur,filtrantur & repurgantur,tandemq; segregatio per destillationem lentissimã subsequitur.

Ex succo finge tibi electuaria,pilulas, salsamenta, potiones, vina aromatica vel quod arrideat. Quando extractio fit cum aqua, maceratio est diuturnior quam cum vino, citius enim penetrat & in se deriuat.Quod si tamen mora per aquam fuerit molestior ob diuturnitatem, expedies illud in diplomate clauso, & calorem vitabis nimium. Censet autor pilularum extractum & in pulue-

lacem coagulatum, vim etiam habere purgandi: hoc ipsum exploret qui velit, mallem ego consistentiã succi mediocris, & in pilulam duriorem redacti eligere rationem supra dedimus. Qui amarorem non horret, præstaret illi cum vini spiritu paratum, & forma liquida exhibuisse, nisi morbus ipse, vel dispositio spiritum non ferant, tum aquam stillatitiam conseruare, vel aquam saccharatã, vel spiritum aquæ cum Manna destillatum vsurpabis. Si cum proprio sale conficeres, penetrabilior euaderet & plus stimularet, vel loco salis adde tantundem Tartari Crystallini. Ex his succis purgantibus, quidam pilulas formant, addendo Gummi Masticis, Tragacanthæ, balsami ex aromatibus &c. Quidam in Miuam transferunt, materias purgantes, cum vino sublimato extrahentes, & ad quantitatem minorem reducentes, vlteriusq; permiscentes, cum miua

vel ſuccoCydoniorum depurato,ad debitã conſiſtentiã cogẽtes & cogelantes, ope ſacchari vel rei cuiusdã viſcidę,vt vſu notiſſimũ eſt.Qui perſpicuitatem quęrit, ſuccum eo depuratiorem clarificatione reddit,& alumine colorem inducit. Aliqui pomorum redolentium ſuccum, æqua portione cum ſucco cydoniorum miſcent ita cuiq; ſuum eſt pulchrum,& arcanum tanquam myſterium ſacrum, exiſtimantibus omnẽ ſuæ famæ &dignitatis notam in hoc vno ſitam eſſe ſi Medico alicui reuelaretur ſed ſinamus ſuo ſenſu quemque ſapere.

Poſſunt etiam purgantia in vino cydoniorum, diplomate coqui, ſed calore blando, iuncturis vndiq; rite clauſis, tum exprimi debet, filtrari & additis debitis ad veram conſiſtentiam redigi. Quod aliunde accepi in hoc genere, illud plerunq; aqueum quid,phlegmate miſtum ex-

pur-

purgauit, relinquens in lingua gustum quendam ſcammonii delicatioribus paratur extractum Cydoniatum ex radice Mechoacana cum vini eſſentia extracta, cum turbetho, ſena, diagridio &c. Loco Cydoniati eſſe poteſt ſuccus Tamarindorum Manna, Diaprunis &c. Sapa etiam ceraſorum, vinum citrium pomorum, Arantiorum, Granatorum &c. æque ad coagulatum reduci poſſunt.

Qui aromata ferre poteſt, adiecta portione cinamomi, tincturæ zinziberis, croci &c. gratius faciet, quæ ipſa etiam neceſſaria ſunt ad ſapas perſicorum malorum, pomorum &c. ſapa ex baccis Ebuli & Sambuci, etiam ad extracta facit, poteſt etiam vuarum defrutum ſumi, vel Maluaticum vinum, cum Manna diagridiata inſpiſſari, ſed cum cautela, ne nimium ferueant, & vbi con-

ſiſtentiam fere nactum fuerit, extra ignem concreſcat, & pro occaſione, aliquid vel Maſtiches, ſacchari &c. adiiciatur, Quod ſi quis exoptat ſaccharum candefactum purgans, ſaccharũ cum extracto ſoluatur, quod cum in debitam conſiſtentiam adduxeris in diplomate, ſine Cryſtallos concreſcere, extractum autem ſit cum aqua ſtillatitia ad purum filtrata.

CAPVT XVI.

De Helleboro nigro.

TRia extracta purgantia autor ordine deſcribit, eo animo, vt triplici ſpecie purgantium eſſentiã, ob oculos ponat: 1. ratio fuit pilularum, ex quibus ſuccus potiſſimum ad purgandum caput dirigitur, per infuſionem in vini ſpiritu, vel aqua ſtillatitia competente: Deinde per depletionem, filtrationem & ſeparationem aquoſitatis. Succus vel

hoc dicto modo exhibetur, vel ad ſiccum coagulatur, vt vix ſexta pars maneat. Diſcrimen autem eſt, ſi ſumatur ſpiritus vini vel aqua autor ſolum ad ℥ j. affundit cochlearia ſeptẽ ſpiritus, quibus digeſtionem per triduum totum inſtituit in loco frigido: poſtea tincturam à fecibus ſeponit, ac ſpiritum deſtilatione balnei ſeparat. Quod ſi loco menſtrui extractorii, aſſumatur aqua roris marini vel alia quæuis, tum præcipit digeſtionem in balneo, vnius diei & noctis ſpacio inſtituendam, duobus cochlearibus inſuper adiectis. In vini ſpiritu nulla opus eſt filtratione, cum fiat ſecundum modum tincturarum, ſed in aliis aquis id neceſſarium eſt, idq; propterea, quia vini ſpiritus mere eſſentialis eſt, ab omni aquoſitate purus, calidus, penetratiuus, qui ex ſeſe ſolum ſubtiliores partes aſſumit: reliquæ autem aquæ ex herbis, per veſicam ſtillatitiæ, reſpectu huius ſpiritus, plus ſunt materia-

tæ, quibus per calorem ſuccurrendum eſt, ſi eſſentiam extrahere debeant. In quem finem etiam torculari fere opus eſt, verum quod craſſum vna exprimitur, poſt filtrationem relinquitur, & ita à ſubtiliori ſegregatur. Et hac ratione extrahendi, in omnibus fere vti licet, quæ pilularum rationem habent, vt & per illa extracta rudiora alia paranda eſſent quoque.

Extractorum purgantium altera forma ſub Helleboro nigro deſcribitur.

Tertia in Rhabarbaro: Videtur autor noſter voluiſſe ſub diuerſis his purgationibus, triplicem gradum purgantium vna declarare, & ad pręcipuas partes accommodare. Ex Rhabarbaro enim facile colligitur, quo pacto ex rebus rarioris ſubſtantiæ, blanda medicamenta ſint extrahenda.

Ex Helleboro quomodo valida & vehementia, quibus ſcilicet vene-

na·

nati spiritus suspicio non deest, extracta sint paranda, vt simul malignitas illis eo pacto eximatur, idque etiam duobus modis: E pilulis, qua ratione res compositæ & mediæ consistentiæ, sint ad essentiam traducendæ, quæ simul etiam viribus, medias partes obtinerent, inter Rhabarbarum & Helleborum. Sed nos quę de Helleboro scribit, audiamus.

Primum vires illius summopere commendat, etiam sine omni Chymica præparatione, quasi insinuaret, nobilissimam esse plantam, etiamsi folia solum per se, cum saccharo præbeantur in puluere, multo vero plus præstaret in sua exaltatione & extractione. *Elleb. nigrì encomium.*

Et hoc ipsum reperies apud Paracelsum, in peculiari tractatu Herbarii tomo 7. operum per Huserum collectorum & Basileæ editorum capit. 2. de rebus naturalibus, vbi Helleborum nigrum senibus, an. 50. excedentib. attribuit, atq; ob eã rem

se-

feniorem nigram nominat. Statuit in Helleboro 4. elementa esse conclusa, ita vt tanquam defensiuum senectutis, ad id prædestinatum, elementares 4. infectiones possit eradicare, & ita in quatuor magnis morbis, velut in epilepsia, podagra, apoplexia, & hydrope salutariter vsurpari. Et quia morbus quilibet dupliciter se habeat, corporaliter & spiritualiter (id secundum Hip. medicinam intelligendum est effectiue & formaliter: effectiue quidem quo ad causam ex humoribus peccantibus, [posset & socialiter declarari] formaliter autem quo ad essentiam affectus) ideo etiam huius medicamēti duplex requiritur forma, quamuis magos veteres taxet, quod ad essentialem præparationem, ex inscitia & imperitia non peruenire potuerint, & hoc fortasse minus etiam necessarium fuisse potuit, quandoquidem statuat, morbos in fine mundi redditos venenosos in sua essentia, ita

vt

vt integrum corpus non amplius sit tam validum: Corpus autem morbi & humores vult purgandos, foliis siccis, tritis, & cum pauco saccharo permistis, pugillo vno mane & vesperi assumpto, & prout cuiusq; natura ac conditio requirat. Perhibet quoq; radicem etiam crudam, antiquitus edi solitam, postea vero lacte decoctam, demum vero aliis permistam (in podagra ait radicem, optimum esse laxatiuum veterum medicorum, pro catarrhis exhauriendis, sed sine syrupis, solam tantum exhiberi consuetam asserit, vt paulatim materia chronicorum morborum expurgaretur. In apoplexia radix omnes neruos & articulos pertentare dicitur, eandemque etiam in aliis morbis quamplurimis valde commendat & vltimum medicamen appellat) essentiam autem morbi pellendam dicit specificato, hoc est, extracta Hellebori essentia, & vt inibi ostendit, hoc modo paranda venit.

Ra-

Radix quam recentissima accipienda ex qua omnis oleositas, cum vini spiritu, vt & humiditas extrahenda: spiritum destillatione rursus separat, vt essentia sola relinquatur, & bene edulcetur.

Et hoc efficax illi perhibetur purgatorium & medicamen ad corpus epilepticum, sed non repentinum, (videndum an recte de corpore dicatur epileptico, & non potius de spiritu vel essentia) qui hanc essentiam est compositurus, addere poterit spiritum medicinalem vel essentiam visci quercini, pyrethri, sem. Pæoniæ, eodem modo extractum.

Et sic in podagra præseruatiuum etiam ponit benedictam & acorum quæ simul etiam possunt in extractione associari: Hæc extant lib. 1. de rebus naturalibus, vbi notandum ipsum Helleborum nigrum senibus annum 50. excedentibus præcipue destinare, licet etiam mulierum

men-

menſes eo excitari poſſe credat.

In herbario, folia exſiccat in vmbra, vento orientali, vt etiam noſter autor puluerem inde aſſeruat, quem æquali portione ſacchari permiſcet atq; refert veteres philoſophos ad cõſeruationẽ vitæ diuturnæ & tranquillam ſanitatem vſos fuiſſe, etiam ſi alias Paracelſi aſſeclę & impoſtores quidã, dicant beneficio lapidis & ſimilium vitam illis productam eſſe, vnde etiam commendant quidam ſuas Panaceas & terras ſigillatas & ſimilia viribus quidem ſuo loco non contemnendas, ſed iuxta Ambaldenſe encomium potius reiiciendas.

Eodem quoque in loco Paracelſus ſtatuit, medicos poſteriores nimis præcipites fuiſſe, purgationibus per Helleborum nigrum, vbi tamen non debeat res vrgeri nimium. Verum id vtcunq; ſeſe habeat, accommodandum ad ægros patienter curam tolentes vbi fuerint.

Nam

Nam ita iam comparatum est, nisi ęgro vna pene hora vel die succurratur, impatientissimi fiunt patientes, aliusq; medicus postulatur, qui illum breui absoluat, si diis placet. Dosis quotidiana pulueris fuisse dicitur, dimidia drachma, singulis matutinis horis: (alibi pugillus illi præscribitur etiam noctu) vsque ad annum 70. deinde tantundem vsq; ad annum ætatis 80. sed alternis dieb. illis qui vltra annum 80. progressi sunt, tantundem sexto tantum quoque die, radicē colligit, Luna decrescente, in Libra & Venere, exsiccat vmbra Boreali (h. e. vt ille ponit à meridie, debuerat posuisse à septentrione, vel vt aër herbam pertingat qui à septentrione in meridiem spiret) crudam autem exhibet, per se absq; additamento, triduo ante insultus epilepticos, iunioribus quidem lacte coctam, senibus vero in vino ʒ.i. pro trib. dosibus, &c. opinionem suã confirmat Hippocratis testimonio, quod

quod radix hæc extremis debeatur, &vt is interpretatur, morbis fixis, ſummatim ad omne malum extollit, ita vt qui folia in balſamum redigere poſſit, is poſſideat maximum naturæ theſaurum, ſecretumque, vt id fiat, ſic declarat.

Putrefactionem procurat aqua propria, calore fimi, vaſe bene obſtructo deinde ſegregat humidum & putrefactum, præterea putrefactum à fecibus, idque ad peculiare corpus reſeruat, inquiens balſamum ita in humido eſſe duobus gradibus, ſed 22. in putrefacto, & in hoc doſin, pro gradu in humido, ſecundum quantitatem. Et adhuc ſublimius eſſe dicitur in ſua eſſentia, ſi repetatur labor noua additione recentis herbæ, vtilius vero aſſumi cum ſiccis. Porro radicem ſic præparat cum correctione pulpæ carnis bene conciſæ ℥. 4. nucis moſch. ℥. j. piperis ʒ j. radicis Hellebori conciſæ ℥. 2. addita aqua in balneo vel diplomate ebulliente

coquit horis 6. hinc ius colatum reliquiis abiectis, pro rei exigentia bibatur. Balſamum Hellebori quandoque cum balſamo naturali componit, ℈. ß. ad ℥. j. ita commiſcendo, vt prorſus vna eſſentia euadat, additque balſamum vires ſuas in laxando non poſſidere, &c. plura illius leges loco citato & aliis, hæc ideo huc transferre volui, vt cum autore noſtro conferres & forte ſic facilius ad imitationem illius, præparationes percipies huius noſtri autoris. Paracelſus vno modo eſſentiam è radicibus extrahit per vini ſpiritum, ſecundo folia in balſamum reducit per propriam aquam. Tertio exaltatum ſpiritũ parat per extractionis repetitionem. Quarto decoctum compoſitum 5. extractum compoſitum. Verum chymicus noſter ex radice parat ſuccum vel extractum per coctionem ex aqua aniſi, vaſe aperto, idq; per repetitionem crebriorem & deſpumationem, quo ha-

halitus venenatus expiret& defecatior fiat. Quando in decocto nulla amplius amaritudo aduertatur, cõcludit essentiã omnẽ esse extractam ius collectũ& coagulat &per filtrum traiicit ẽt in aperto aëre, ad cõsistẽtiã vsq;,tũq; masticen addit & porro coagulat, in mellis formã, cuius dosis est quãtitas dimidiati pisi, forma pilulari. Et hãc rationẽ loco indicato Paracelsus non proponit, alias tamen est vsitata. Quidam aquam destillatam in locum aquæ Anisatę eligunt, qui oleũ Anisi pararit, illã aquã quæ vna per fistulas& alembicũ trãscendit, & in cantharo medio, recipiẽte, residet, adhibere poterit. Poderit ad id ẽt aqua rorismarini, aqua è nuce moschata, &c. Poterit cõferri cũ Paracelsi modo altero, tanq̃ ad balsamũ ex foliis. Verum autor huius operis talia extracta, illorumquè augmentum, in Petroselino supra descripsit, quamuis Paracelsus diuersus sit aliqua ex parte, vt enim

Textus habet, non in Sole putrefactionem promouet, sed in fimo vel balneo. Liquor à reliquis effunditur & exprimitur. Vt autem feces ab expresso fecernantur, filtratio instituitur & coagulatio, destillando & decoquendo, qui filtrationem expetit is à liquore aquam pellat destillatione, vel coagulet per coctionem, succum vero extrahat per vini spiritum more tincturarum, hinc iterũ abstractus spiritus, balsamum relinquit, atque sic feces quoq; ab essentia segregantur. Qui non simplici delectatur, sed aut duplici aut triplici, is cum expresso putrefacit recentes herbas vel radices, purumq; ab impuro segregat vt ante, idq; tertio facit, tumque procedit, exaltando ad balsamum, vt dictum est, extrahendo per spiritum vini, aut filtrando.

Altera extractio à nostris artificibus dicitur quint. essentia rad. Hell. nigri, radix vino elota & contusa, cũ vino in cucurbitam coniicitur, ad al-

balneum, horis 24. per gradus, ſimul macerando & deſtillando per alembicum, profluit aqua, ſeorſim cuſtodienda, quod vero in cucurbita remanet, exprimitur, & cum roſis ac Caryophillis componitur, horiſque 24. maceratur, affuſo vini ſpiritu ad digeſtionem balnei, per triduum, exemptus deinde liquor exprimitur per pannum, à fecibus, atq; in cucurbitam cum alembico concluditur, indeq; aqua vitæ per balneum elicitur, quamuis ſupra autor voluerit, eſſentiam alembicum nõ tranſcendere, ſed peragendum hoc tibi fuerit per gradus in feruente balneo vel cinere, tum aqua vitæ cum ſubtiliori eſſentia aſcendit. Hanc aquam Hellebori, quintam eſſentiam dictam, ſtudioſe repone. Apparet ac ſi cum Paracelſi verbis concordaret, dum ait putrefactum à fecibus eſſe ſegregandum & reſeruandum, ſed quia etiam meminit balſami in corpus reducti, deceret etiam vlterius

ſpiritum ab eſſentia ſeparare, vt ita plus ſit intelligẽdum quam expreſſum ſit. Atq; huc conſentiunt gradationes, quod enim in liquido haberet gradus 2. id in coagulato 20 acquireret vlterius, ita vt ſemunica coagulati tantæ eſſet potentiæ quãtæ vndecim vnciæ dimidiæ in liquore. Poſſet tamen & ad formam priorem referri, ſcilicet vt liquoris digeſti ℥. 9. vix tantum haberent virium quantum balſami ℥ j. vel ſecundum menſuras, vbi humidi eſſent partes 22. in coagulato remanerent partes ſaltem 2. vnde proportio aquæ adiunctæ & elementaris humidi in radice exiſtimanda.

Porro vt quinta eſſentia Hell. N. in ſua virtute roboretur, autor recẽtes radices, de nouo in balneum, cum vino illarum cõiicit, ſpiritumque deſtillando excipit & adiũgit illi, qui initio fuerat collectus, quod in cucurbita remanſit, transfert in retortam lapideam, deſtillat per gra

dus

dus, ad summum vsque, & sic feces omne in cinerem reuerberatione deduc t, cineres in salem conuertito, cum aqua prius seruata, & collecta, ac in balneo segregata. Salem cum quinta essentia in sua dosi exhibet, ad conseruationem valetudinis, singulis mensibus, &c.

Hanc extractionem, vel etiam præparationem, cum vini spiritu, liceret etiam ad primum modum à Paracelso propositum reuocare, sed non tantum exaltaretur.

Vt enim ego Paracelsi verba interpretor, radices dum vegetæ, & plenæ sunt, forent eligendæ, exsiccandæ, & in puluerem commutandæ, spiritus vini desuper infusus pro tincturarum modo, extrahendus, ita vt succus & oleum coniuncta manerent: tandem spiritus inde destillatione, lentissimo igne Bal. reuocādus, essentia edulcorāda, seu à sapore spiritus vini liberāda, id

quod aliqui perficiunt in ſole, digerendo, relicto foramine paruo. Hoc ipſum etiam acquiri poſſet ſpiritu aquæ dulcis, in balneo, macerando, & abſtrahendo. Hæc mens eſſet Paracelſi. Verum autor ſubtilior eſt, ita vt ad quintam eſſentiam, quam proxime accedat, vt certo quodam gradu, etiam ſic dici mereatur. Ad ſalem quod attinet, quem autor conficere docet, is retinet aliquid de Tartaro vini, vt non prorſus ſimplex ſit, non tamen eo deterior. Vſus vero illius, quod in recipientem ex retorta pellitur, non exprimitur ab autore: ego vero crederem foris in ſcabiei affectibus & tumoribus membrorum, atq; aliis eſſe commendabile.

CAPVT

CAPVT XVII.

Tertia ratio purgantium Extractorum per Rhabarbarum declarata.

ISthæc formula non eſt ſimplex, etiamſi ſimpliciter poſſet inſtitui: Autor duas adiungit correctiones, vnam cum ſuccis cordialibus, alteram cum ſaccharo, ſuauitatis gratia ſuccum exprimit è foliis recentibus Borrag. & Bugloſſæ, quem repurgat per lacinias aut per filtrum: addens ℔.ß. ad ℥.2. Rhabarb. electi & cõciſi, coquit diplomate & digerit horis 24. bene operculatum, cum expreſſione, per pannum validum, purum ab impuro ſegregando, feces exſiccat, & pulueris forma reponit, ad diarrhœas. Succus vero cum ſaccharo candipulueriſato, in catillo aperto, inſpiſſatur igne leni. Si ſucci ex herbis recentibus deſint, ſumendæ ſunt aquæ deſtillatæ, ſi vero metuis diſſipationem per halitum ad

ignem, poteris in balneo per destillationem ad consistentiam syrupi percoquere, sed lenissime rursumq; reseruare, succum vero saccharo candi excipere, sine vlteriore igne, ne vis purgatrix exhalet. Ad vsum vero accomodaturus, in aqua abstracta quanta fuerit vel quæ sufficiens videatur, succum dissolue adiice pauxillium tartari Crystallini, & extracti cinamomi. vel puluerem Cinamomi electissimi, aut aquam Cinamomi: optimum erit medicamentum delicatulis, nihilq; de viribus purgantium amittes: Spiritus enim est in aqua, succus in saccharo.

Qui volet, etiam cum Rhabarbaro cinamomum componet. Paraturus morsellos laxatiuos, sume balsamum Rhabarbari vel succum, in olei consistentiam redactum, instilla saccharo contuso crassius & involue, pro libitu, fiant mor-

morſelli, magni aut parui, qui paulatim exſiccentur.

Et hoc modo Mechoacannam, cum aqua Cinamomi, cum vino aut aqua vitæ deſtillatæ extrahere & parare licebit. Scammoniũ, Turpethũ & ſimilia, præparantur cum aqua ſtillatitia, ex ſucco vel vino cydoniorum. Eſulam vero, Mezereum & alia eius generis, cum aquis Roriſmarini & Angelicæ, aut Nuc. moſchatæ, & zinziberis: Inter coagulandum, addatur Maſtix, vel ſuccus cydoniorum depuratus

Cum decocto foliorum ſenæ & paſſularum, extrahitur caſſia fiſtula, pruna dulcia & quod illis eſt affine.

In coagulatione Manna optima commiſceatur & parum Tartari, vel nitri recte depurati, aut ſalis Hellebori.

Paſſulæ contundantur, Cinamomum præſtans coquatur in vaſe duplici cum vino maluatico ex pri-

primantur & destillentur ad sapam: hanc commisce cum essentia Hellebori, Esulæ Rhabarbari, aut quod placet, addendo vel saccharum vel Mannam, & paulatim vt cydoniata exsiccentur.

CAPVT XVIII.

De puluere dentifricio, in aqua Rorismarini.

ENumeratis ab autore, vt sese obtulit occasio, variis artificiis præparandorum oleorum, aquarum, salium, quintarum essentiarum, extractorum corroborantium, & alterantium, aquarum aurearum & vitæ dictarum, purgantium etiam extractarum. Subiungit catalogum satis copiosum variarum ex simplicibus essentiarum, potissimũ ex aquis & oleis petitarum, vna cum explicatione virium & vsus, sine quibus ars imperfecta esset, quæ nõ solum labores debet præscribere, sed

ſed etiam rectum vſum medicamẽtorum,atq; praxin oſtendere, ad ſalutem hominum,id quod quiuis facile percipere poteſt. Vires autem harum, experientia multorum ſeculorum addiſcuntur, potiſſimum ab integris. Hæc enim regula eſt artificibus ſolennis, vires quæ inſunt integris, latent in eſſentiis occultatæ,quod igitur compertum eſt vſu in integris, per ſe etiam debetur eſſentiis,quæ ſi recte pręparentur & exhibeantur, non ſolum idem præſtare debent, quod integris ineſt, ſed etiam poſtquam exaltata ſunt (vnde virtus non debilitatur, ſed augetur) multo euidentius, cum facta iam ſit ſolutio, & ad actum primum redactio, nullaq; impedimenta in illis (quantum quidem ad ſola illa attinet) relicta ſint, modo Medicus prudenter & perite adminiſtret. Sola autem data occaſione autor etiam alia quædam artificia, interdum ex integris rebus ſumpta in-

desumpta interponere. Huius rei exemplum est in Rore marino, qui cum aliis compositus ad dentes commode vsurpatur & facillimum intellectu est. Quæ de oleo Tartari, de spiritu sulphuris, spiritu vitrioli & similibus recenset, vera comperies, & preterea etiam hæmodiam validam ex oleo sulphuris atq; vitrioli, quæ neruis parum sunt amica, sed erodunt potenter, maxime callos, clauos & alia. Veruntamen D. Cratoni, oleum vitrioli & liquor nõ displicuit, potissimum in gingiuarum putredine & dentibus topho obductis, quibus prodest spiritus sulphuris. Quod si vero omnino statutum sit, dentes putridos, cariosos, fœtidos, eradicare, etiam sine his fieri poterit. Sumatur Mastiches vel Thuris granum accõmodatum, cauernulæ inseratur apte, gestetur de die & nocte, mane vero eximatur, & os eluatur, aqua parũ salita decoctionis saluiæ, vel decocti cornu cerui

Dentium eradicatio.

uivsti, aliud granũ inseratur, idq; tã diu continuandum, donec frustulatim dens excidat, & hoc fit sine damno, tutius omnino quã si sanie pinguedine ve Ranæ arboreæ perlinatur, vnde sine dolore excidere dentes dicuntur, vt vel digitis eximantur. Alias denigratis dentibus, cornu cerui optimum. Ita & os vstum, Sepiæ, lapides cancrorũ, vsti, saccharum canarienſe cum melle &c. Qui gingiuas deperdiderit masticet Rutam, os vero colluat lacte caprino.

CAPVT XIX.

De oleo Hyperici.

MAgisterium est hoc & Extractum occulta enim vis in oleum transfertur, in quo cum flosculis circulatur, quod simul etiam ingreditur tinctura. Vulgo sumitur oleum oliuarum, quibusdam recens quibusdam vetus & acre hic vero autor recte eligit Terebinthinæ oleum,

oleum, accomodatius vulneribus & calculo renali. Si placet, vtere ad tincturam eandem, oleo petræo vel philosophorum, aut oleo abietis, vel Balsamis destillatis, quo alias pacto oleum Carauitæ, aut oleum Scorpionum Mathioli cum Hyperico & Scorpiis atq; aliis pluribus alexicacis cõponitur de quibus legere licet Mathiolũ. Sed tarde res ꝓcedit, cũ tali oleo ꝓmouere potes cõpendiose vt quouis etiã tempore anni parabile sit, iuxta modum, quem D. Leonhardo Doldio Medico Norimbergensi, alias indicaui, & in nostris officinis præscripsi. Tinctura posset è floribus extrahi, & singulis vicibus oleo prius destillato adiici, reliqua vero pars, in alia quadam portione macerata, coqui, clarificari & cum priori permisceri, illi tandem scorpiones iniici, pars etiã ex alẽbico stillis excipiatur, vel loco olei eligi posset spiritus Terebinthinæ: sic oleum Centennale seu seculare tibi

bi non erit expectandum. Paracelsistæ hic commonefaciendi sunt, ne olea à Galenicis per infusionem parata, contemnant, cum etiam apud optimos Chymicos locum suum inueniant.

CAPVT XX.

Notanda quædam de vnguento foliorum symphyti.

ARtifices herbas recentes, radices, flores, vel quicquid horum fit, subigunt cum axungia quadam vel canina, talorum bouillorum, medullarum ossium, renum pinguedine: potissimum capellarum, adipe omentorum, cattorum, butyro vel similibus, ita vt omnia colorem & consistentiam æquam aquirant.

Et hoc per dies aliquot in cellis commacerant, tum aliquid superfundunt vel vini vel aquæ Rosarum vel aceti, pro vt vnguenti forma po-

ſtulat:ad hæc igne excoquunt, donec nil amplius appareat aqueæ humiditatis, quod facile cognoſcitur ex guttulis, cadentibus ſuper prunas, quando ſine ſtridore conflagrant: mox per colum traiciunt & exprimunt, antequam concreſcat, & tunc varia vnguina precioſa, olea, Balſami, tincturæ &c. immiſceri poſſunt.

Si herbæ fuerint aridæ, reducantur in acetum vel vinum, ſecundum qualitates calidas aut frigidas, atque vt ante dictum paretur. Vnguentum fit precioſum ad vulnera tale.

Si percoxeris in diplomate pultis modo, in ſuccis vel aqua Geranii Robertiani, perſicarium & tabacum Americanum, ruditer contuſa, mox in axungiam taxi ingeras, affundas ſuccum florum Hyperici, coquas, exprimas, vlteriusq; adiungas Balſamum ſulphuris, ſpiritu Terebinthinæ ſolutum, & ſperma ceti,

ti, prius cupreo vase alteratum, vel tinctura Veneris coloratum immiſceas.

Si deſideretur emplaſtrum, commiſceatur reſina abietis & cera, interdum omittuntur axungiæ, additur mica panis lacte percocta, ſed permiſcendum eſt oleum. Si ad bubones peſtilentes vnguentum tale expetis poſſes cœpas, theriacam, Electuarium de ouo, aut Diaſcordium Fracaſtorii vel etiam puluerem Saxonicum vna contundere, & commiſcere, coquere & exprimere, illisq; aſſociare Balſamum ſulph. & oleum carauitæ.

Si craſſam conſiſtentiam habere debeat, ſume reſinam & Emplaſtrũ diaſulphur, quantum illius requiritur, & lege artis miſceantur.

CAPVT XXI.

De oleo Cinamomi pag. 68.

DE oleis ſatis ſuperque explicatum

catum eſt in ſuperioribus, vnde colligi poteſt quomodo elicienda fuerint. De Cinamomo & iis quæ cum ipſo conferri queunt autor quinq; modos ſcribit 1. fit per Inſtrumentum præmiſſa digeſtione, cum aqua Borrag. & Bugl. in balneo 2. per alembicum in balneo ex cucurbita 3. per Retortam, vnde oleum fit ex aduſtione nidoroſum, quod per multas macerationes, cum aqua Roſ. vel alia, in balneo rectificandum & deſtillandum eſt, vnde laborioſum eſſe modum patet, & priorem compendioſiorem.

Quartus fit per deſcenſum, hinc ſimiliter oleum fit particeps Empyreumatis, neque ſine periculo eſt, ſi commiſſuræ omnes non optime fuerint communitæ, aut vaſa firmiſſima, qui modus in Cinamomo, mihi non videtur eligendus. Quintus fit per aſcenſum & inclinationem, illud aquam, hoc vero oleum præbet.

Cinamomum autem prius præparatur per vaporationem aquæ Borrag. vel similis : deinde suspenditur, prius ruditer contusum ad hamulum in operculo diplomati affixum, aqua vero cucurbitæ iniicitur, obstruitur, & percoquitur in balneo, si sufficienter facta sit coctio, exemptum contunditur exactius, atque attente si oleum præbeat, affundatur aqua Borrag. ex fundo, exprimatur, separetur oleum, liquor vero Cinamomo reddatur, aquæ etiam plus adiici potest, cucurbitæ imponatur atque destillatio in balneo vel cineribus fiat.

In cineribus fere oleum apparet vna, quod colligendum, reliquiæ per retortam stillent, sic plus olei habebitur, sed ambustionem sentiens, quod rectificandum est vt prius. Aptius seorsim tale oleum exciperes, neque priori commisceres.

Poteris etiam caput mortuum calcinare & ex eodem ſalem elicere, ad vſum, cum aqua. Aqua non raro, ad viſum habet oleum innatans, nonnunquam latet occultum, hoc prouocabis cum in phiola deſtillatur aut in balneo: quibusdam placet apricatio.

Decoctio per vaporem. Quod attinet ad diploma, hamulo inſtructum, aliqui curant alembicos cædos è vitro hoc modo conflari alii vtuntur etiam ſtanneis vaſis. Ratio eſt egregia per vaporem excoquendi. V. S. Sumitur caro caponis fruſtillatim inciſa, appenditur alembico filis, ſubſtratis transuerſim bacillis ligneis cucurbita vero continet aquam Roſarum, Borraginis vel vinum Maluaticum aut Pucinum aut quiduis aliud gratum: obſtructo orificio, percoquitur in aqua balnei, ad debitum, caro eſui apta eſt grataque, maxime ſi confixa ſit caryophyllis, aut cinamomo.

In

In fundo vero brodiũ remanet, pro destillato caponis, quod facit ad vires roborandas. Potus fit suauis, traiectus per saccharum Rosarum vel violarum.

Ex carne cum Amygdalis panes conficere licet, addito saccharo qui Martii dicuntur: vel cum iure soluto saccharo crystallino, admixtis speciebus cordialibus, Morselli fieri possunt: vel sumatur ius prædictum, Maluaticum, aqua cinamomi & cum saccharo Canariensi fiant orbiculi, ne nimium calidi sint addere potes conseruam violarum: proderunt tabidis & hecticis.

Ius vero nil pingue habere debet, cuius gratia prius quicquid pingue fuerit, separandum. Præterea ad coctionem aqua sufficiens eligi debet & commissuræ constringi.

Pro phthisicis & pulmonariis aqua fit cancrorũ, eodem pacto, aqua

ranarum, aqua teſtudinum &c. electa carnea portione meliore, vino probe elota, poſt coctionem ſubſtantiam omnem abiice, ſine expreſſione vlla, euaporatio enim extrahit vtile tantum, ſimilisq; eſt pelicanationi, in qua aſſiduus fit aſcenſus & deſcenſus. Oportet autem vas iuſtam habere altitudinem, balneum vero regi pro materiæ conditione illiusq; raritatis aut denſitatis.

CAPVT XXII.

De oleis per oleum Amygdalarum extractis.

COmmunem eſſe hunc modum omnibus aromatis, autor ponit, id confirmat vnico exemplo croci, perſuaſus eundem eſſe in Pipere, Mace Ambra, Moſcho, Zibetho &c. modum, quamuis difficultatibus

bus non careat, ſed obſeruandum eſt, hoc potius in valde ſpirituoſis raris & rebus ſubtiliſſimis, quam in omnibus aliis ſuccedere. Quod ſi tamen hic modus generaliter eſſet capiendus, non ſolum oleum Amygdalarum requireretur, ſed etiam quodvis, ſiue ex Amygdalis, ſiue ex nucibus, aut terebinthina. vel prout quiſque aptum aliquod inuenerit. Amygdala quod attinet, ſciendum eſt, hunc modum oleorum, per expreſſiones, à Chymia non abhorrere etſi non ſit perfectus, non enim ſic fit oleũ eſſentiale, ſed materiale ſolum, vt autem ad eſſentiam reducatur, requiri vlteriorem elaborationem & exaltationem conſtat. Deinde cum ſemina vel nuclei recentes, mox expreſſi, præmiſſa maxime euaporatione ex aqua, aut irrigatione & humectatione ex vino, vel accommodatis liquoribus (ſecundum vſitatum etiam modum officinarum, dum ex paucis Amygdalis mul

tum olei expetitur) ſimul etiam exprimitur ſubſtantia quædã phlegmatica, vna cum elementari aquoſitate, quæ aſcititia eſt. Talia igitur olea pura & integra non ſunt, niſi reducantur: nihilominus pro medio, vel mẽſtruo extractionũ, inſeruire poſſunt (vt neq; ad medicinam etiam ſic inepta ſunt) idq; potiſſimũ duobus modis contingit. Quidam amygdalas excorticant, minutim incidunt, adiiciũt materias ſubtiliter puluerifatas aut comminutas, vt florum, herbarum ſubtilium ſeminum, aromatum (vt piperis, Caryophillorum Cinamomi, moſchi) ſtratum ſupra ſtratum conficientes, & in obſtructis vaſis ad debitum tempus commacerantes, deinde exprimunt omnia ſimul, vtuntur pro oleo aromatico. Vbi vero materia aromatum denſior & compactior fuerit, quam vt maceratione tali reſolui poſſit oleum, vt cinamomum craſſum, caſsia, nux moſchata, zinziber, &c. illa

omnia prius ab artifice pparari pos-
sent, per diploma vaporarium (quẽ-
admodum id supra in oleo cinamo-
mi explicatum fuit) atq; tum amyg-
dala adiungi. Hoc pacto etiam ex a-
romatis durioribus, oleum confice-
retur, tam in compositis, quam sim-
plicib. quando vnius eiusdemq; na-
turæ materia fuerit. Mineralia vero,
hoc pacto oleum nullum præbent,
etsi & illa artificiosa pręparatione eo
deduci possent, vt in sulphure, Arse-
nico, atq; aliis per solutiones fieri so
let. Artifex vero non statim quãuis
viam ad omnium præparationem se
quetur, sed cuiq; conueniens modus
est applicandus, & ideo ars ipsa non
vnicum, sed plurima habet præce-
pta atque regulas. Alter vero modus
per oleum amygdalinum aut succũ
vt autor præscribit, perficitur. Cõue
nit autẽ cũ illo qui in oleo Hyperici
supra est declaratus, neq; interest,
etsi hic calor balnei, p maceratione
eligatur, illic vero calor solaris.

Præ-

Præterea in oleo Hyperici, Terebinthina, hic vero oleum Amygdalinum. Solent & oleum oliuarum optimum ad id eligere: Et quando essentia ex oleo Hyperici est extrahenda, fieri potest per vini spiritum, qui tincturam assumit & remittit, si artificio tractetur.

Eodem etiam pacto paratur oleum Camphoræ, cum oleo, nimirum Amygdalino dulci, sole soluendum, spiritu vini infuso vel cineribus destillandum, & tandem separandum. Quæritur autem an tale oleum vel tinctura etiam per se simplex sit, nihilque de Amygdalis secum vehat. Mea sententia est, vini spiritu in se deriuare & croci tincturam, & amygdalarum succum, ideoque totum ex croco non erit. Sed quia artificibus receptum, atq; tinctura est egregia oleosa, ideo improbandum non est.

Quod ad Ambram & Zibethum attinet, inde potius fiunt soluta qua

ex-

extracta. Nam oleo dissoluuntur, & quę pinguia sunt ingrediūtur, quēadmodū & halosanthos vel sperma ceti: Ambra autem & Zibetum, alias etiam in oleum pręstans per se reducuntur & soluuntur, neque multa extractione opus est, sed repurgatione, quia naturales sunt essentiæ ab elementis segregatæ, vt & caphura præparata & similia.

Hic modus per solutiones, etiam ad Gummata extenditur, & quicquid oleo solui potest, namque sic deinceps ex solutis, per vini spiritum, educitur tinctura, velut ex sulphure. Idem modus obseruari posset in rectificatione balsamorū quoque stillatitiorum. Sed notandum, cum vini spiritus soluto affusus fuerit, & cum illo digestus (sæpius concutiendo & agitando) atque tinctura extracta, quod is vel per subductionem vel per effusionem separabilis sit, vel etiam per cineres, destillatione.

Illud

Illud non tantum in se recipit olei alieni, neque tincturæ, maxime quæ ex subtilioribus floribus & aromatis est, tantopere officit. Cineres vero tincturam, cum spiritu per alembicum, maiore impetu pellunt, quod ipsum etiam sæpè in balneo, nimium feruenti accidit.

Hæc segregatio mihi plus arridet quam destillatio, tu tamen considerabis, quid quodque pro suâ conditione requiret. Spiritus à tinctura separatur lentissimo balnei calore, potissimum vbi tinctura vel oleum subtile fuerit, vt in camphora, quæ blandissimo calore etiam ascendit. Sed ad id non vulgarem aquam ex vino ardentem eliges, sed quintam essentiam, alias facilius tinctura spiritualis quam aqua ardens ascendet, vel ad minimum remanet aquositas aliqua elementaris, coniuncta tincturæ, ab aqua ardente quæ adhuc elementaris est, id quod artis non est.

Quæ

Quædã vero tincturæ sic extractę etiam coagulari & figi possunt, vt in sulphure, à quo spiritus vini, cũ spiritu caphuræ & Terebinthinæ totus separari potest, atq; sic tinctura sicca effici, forma pulueris aut pilularũ vtenda. Et est hæc ingeniosa industriaque exaltatio florum sulphuris, qui ad tales tincturas requiruntur, quæ in peste, phthisi, pleuritide & aliis arcanum sunt longe prętantius, quam si flores per se, adhibeantur. Quod si omnino placet forma liquida, sic præparetur, vt de croco scriptũ est (crocus etiã in aliis oleis solui tur vt in oleo cõmuni rosaceo, amygdalino, &c.) spiritum ad oleositatẽ vsq; abstrahe, quæ carbunculi rubedinem habet: si vero suppetat tempus, vel alias videatur, etiam hunc separabis, & inclusum retortæ paruæ vel cucurbitæ, seorsim in suum receptaculum segrega, ad spissitudinem melleam, hoc expirando coagula vlterius ad soliditatem, aut con-

consistentiam ceræ,vt placuerit. Segregatum seorsim in suo vase asseruandum. Iam vbi tincturam expetis, non siccam sed resolutam, de qualibet sume aliquid pro libitu, quod si tinctura pulueris formam sustinet,simul conteratur, vel seorsim & cum balsamo illam permisce, qui statim in illa liquescit prunis admotis mitioribus, vel calido cineri, atque se cum illo rursum vnit. Sed artis isthæc stratagemata magis delectationis & arbitrii,quam necessitatis sunt, quæ etiam faciunt interdum ad occultandum artificium & obscurandum, ne quilibet sciolus, in artificia statim inuolet, quasi omnia comprehenderit.

De hisce tincturis ea quæ intra corpus per os exhibenda sunt, cum vino Maluatico offerenda, aut si id locum non habeat, cum saccharo forma pilulari,aut electuarii, vel etiam in conseruis roris marini, violarum & similium.

Vt autem cum ſulphure ſe res habet, ita etiam eum Arſenico, Gagate, Electro, Nitro & ſimilibus ſolum ad ſolutiones attendas. Quædam enim facilius ſoluuntur, quædam diu coquenda ſunt, & ne ſpiritus euaneſcant, amplas phiolas aptabis, quæ facilius obſtruuntur quam Cucurbitæ ſuperne decurtatæ: ſpiritus etiam in illis circulatur, & reuerberando melius ſoluitur, ſed ante omnia vidēdum, quid circumſtantiæ requirant.

CAPVT XXIII.

De Oleo Caſtorei.

PEculiaris eſt hæc oleorum ratio, ex animalium, potiſſimum vero carnoſarum partibus, neque tamen ſatis pura aut ſimplex. Spiritus vini, & caro, ſeu quod ſimile, cuiuſque ℔. ß. pro ſua mole & menſura, Tere-

binthinæ claræ octaua mensuræ pars(vel circiter ℥.4. ß.)sabuli areno si bene eloti&siccati ℔.ß.vel m,2.digerantur in balneo per dies 9. demum per retortam destillentur in cinere, oleum à spiritu separetur in balneo & si nidorem retinet, rectificetur, non vero necesse est, vt arenam in cucurbitam pro maceratione coniicias, quando materiam in retortam transfers , arenam tum permiscere potes , quo elementarem terrestreitatem , in retorta contineat.

Atque hoc pacto oleum paratur,etiam ex iecore , corde & aliis partibus animalium , vt etiam ex mineralibus & vegetabilibus , idque vsitatissimum est apud fallentes , qui olea herbarum & aromatum sic præparant, vt etiam sulphuris,succini & aliorum, quæ suo loco non sunt contemnenda.

Vehunt enim tincturas secum, earum rerum quæ cum resinis, vt te-

rebinthinæ, vel lignis item abietina resina vel ligno laricis. pinastri iuniperi & aliorum destillantur atque etiam ad balsama externa sunt aptissima:, vel si debite præparentur, etiam ad internas exulcerationes, vulnera, aut infectiones, ex vsu sunt.

Verum in eo fallacia esse solet, quod illa pro puris & claris, magnoque precio quidam venundent, quibus & medicis & pharmacopolis imponunt, quibus si animus sit, in eum modum conficere, sine fuco & dolo parent, medicoque modum explanent. Et ratione tali ex gummatibus balsami fiunt elegantes: Cape ramulorum pinguis Thuię americanæ, (quæ & arbor vitę) vel de citro phœnicea (olim vt Homerus & Plinius testantur, in templis ad sacrificiorũ suffumigia solenni) vel de cupresso, aut iuniperi segmentis siccatis quantum placet: Hæc minutim instar ferramentorum con-

ſcindantur,admiſce Benzoini,G.liquidambar, Anime, ſtoracem calamitam (fere vnius eiuſdemque naturæ:)cum ſpiritu vini bene imbuantur, arenaque adiecta, per retortam in cinere gradatim deſtillentur:ſpiritum aquoſitatemque ab oleo ſepara, & ſi ſeparatim olea expetis ſingula ſeorſim dum promanant excipienda ſunt, vel deinde ſeorſim ſeparentur, cum aqua Roſar. rectificentur in balneo per aſcenſum, aut inclinationem, vt commodum videtur.

Balſamus eſt optimus, corroborans cor, cerebrum & ſpiritus animales foris ſolum admotus, arteriis & neruoſis partibus, vt temporibus, &c. Si vero iuxta ſuperiorem modum parare velles, recipe ramenta cupreſſi vel Thuiæ, inciſa, non deraſa, de quibus oleum paretur, hoc oleo ſoluantur Gummata, ſolutum cum ſpiritu vini ad tincturam redi-

gatur vt prius explicatum est.· Fit & oleum ad vlcera maligna, gallica & alia, si lignum Guaiacinum in spiritu vini, ad suum mensem digesseris, illisq; addas aliquid florum sulphuris & viridis æris. Itemque aliquid olei abietis, salisque tosti, cum particula plumbi, quæ per retortam in arena stillabis & rectificabis. Quidam huic multum tribuunt, si oleis balsameis talibus (quæ etiam per se ex gummatibus & resinis arte stillant) plumbum adiungatur, vt in aliis oleis, quæ internum vsum præbent, tartarum admisceri solet. Et sic balsamos parabis ex myrrha, thure, iuniperino gummi, atque similibus aliis, semper addendo terebinthinam, aut abiegnam, vel corticem pinguem aut surculos, ramulosue, quemadmodum multis voluminibus Chymicorum id continetur.

Talia olea, & balsami aromatici, sæpe in corpus reducuntur crassius,

quo diutius durent & odorem validius ſpirent. Cooptatur ad id cera albiſſima vel ſeuum id quod iuxta renes capellarum eſt, cupreo vaſe ſolutum ſupra aquam feruentem, aliquot oleorum aut balſamorum guttæ ingeruntur extra ignem, donec commiſceantur & conſiſtant, quidam pomatum eligunt ad hanc rem, vel pinguedinem, caprillam cum cera alba, vt mediocris fiat cõſiſtentia. Sed prudenter res peragenda tibi eſt, ne inter agitandum & commiſcendum ſpiritus euaneſcãt, quemadmodum tales aliquot mixturas vidi, quæ cum balſamicæ eſſe debuiſſent, nullam habebant odorẽ præter adipoſum: maior eſt fraus ſi pinguedo rancida aut ſubputrida minimeque recens ſumatur, cum falſa perſuaſione credulorum, balſamos eſſe veros.

Si cui cordi res eſt, is ſumat ceram albam pomatum & adipem renum caprillorum, vel pinguedinem

omen-

omentalem, immittat in oleũ vt absumatur, inde exceptum vasculis argenteis aut aureis, stanneisve custodiatur.

Spiritus subtiles, etiam ceram illam quæ orificiis vitrearum ampullarum insternitur, in vnguẽtum vel balsamum vertunt.

Præterea etiam oleum paratur ex carneis per descensum, cuius infra exemplum in oleo taxi fol. (97.) sed illud in balneo rectificandum est, cum vini spiritu, vel aquis appropriatis vt moris.

CAPVT XXIV.

Oleum ligni Guaiaci.

SOlitum quoq; est parare olea & aquas ex lignis, corticibus, ossibus, Gagate, electro, lateribus, conis abietum, pineis, nucib. cupressi & iuglandis corticibus, cornu ceruino baccis iuniperi & sauinæ, &c. idque per descensum, sed adustionem valde redolent, nisi optime rectifices.

Hoc loco autor lignum Guaiaci-num per retortam cum maluatico ſtillare docet, quod ſuos gradus ha-bere poteſt, & ideo melius, quamuis etiam commodiſſime per veſicam paretur.

Quo ad vinum maluaticum, pa-rum intereſſe ſolet, hoc ne an aliud vinum adhibeatur bonum, vel et-iam ſpiritus vini, modo recte iterum ſeparetur, ne curationi obeſſe poſ-ſit. Sunt enim qui velint vinum in hoc morbo incommodare, licet Ma-thiolus aduerſetur, ſed in compoſi-to. Interim oleum à ſpiritu alteratur quod non prorſus ita ſeparari po-teſt, niſi etiam ſpirituum ex oleis ia-ctura facienda ſit.

Spiritus aquæ pluuiæ, vel roris, vel cichorii, aut fumariæ ſtillatitiæ, optimum ad curationem præſtare menſtruum, ſi inter deſtillandum per gradus receptacula permutares, primumq; ſecundum, ac tertiũ ſeor-

ſim

ſim exciperes, neq; tanto in rectificando labore opus eſſet: vltimo vſus eſt ad externa, reliquis ad interna, cum ſaccharo, vel cum decocto accomodato, ſudori ciendo & alterationi introducendæ, ad ſpecificũ morbi (Galenicis ad morbi eſſentialis curationem) tollendum. Vt autem ex capite mortuo, vel ex Saturno Iouem parare debeas, ſæpe audiſti. Hic cum aqua quæ ab oleo ſeparatur & rectificatur intra corpus exhibetur ad ſudores ciendos. Quæ de Guaiaco relata ſunt, ea accommodantur ſimilibus omnibus, modo ſingulis ſua additamenta aſſocientur. Non omnia cum vino peragi poſſunt. Per retortam pari modo deſtillabis ſuccinum, nigrum, album, flauum, Bitumen Iudaicum, picem, ceram &c. ſic oleũ lateritium, & alia, quæ ſola præparatione differunt, candefiunt enim igne lapides (lateres aut alia) imbibere olea permittuntur (oleum nu-

cum, oliuarum vel similia) quæ bis terue destillantur, nouis semper lapidibus extinctis, eo pacto etiã metalla, aurum, argentum, æs, ferrum & alia in oleũ verterentur: quæ vero igniri non possunt, vt stannũ, plumbum, bismuthum Antimonium argentum viuum, marchasita vel fluores &c. illa feruentia iniiciantur, sæpius repetito labore, transfertur vis in oleũ, quod pro natura illorum alteratur & propter feruorem etiam subtilius & acrius euadit.

Quæ vero pati id possunt, vt ex plumbo vitrum, minium, cerussa, sal &c. illa vna in retortam immittuntur, oleumq; inde exstillatur. Ex carbonibus & ossibus, hoc modo etiam fieri solet oleum, addita tamen cautela in omni, vt mox pannis humidis restinguantur, cucurbitæ instratis, si olea inflammarentur, vel particulę illorum successiue, circumspecteque iniiciantur, forcipe ignario: Quod grandius est, postquam

quam satis imbibit olei, id commi-
nuendum est in frustula & in pulue-
rem crassiorem redigendum. Co-
nati sunt etiam aliqui, sumpta occa-
sione ex tali restinctione, ex liquidis
parare olea, si nimirum oleum iuni-
peri, terebinthinæ, vel petroleum
aut iuniperinum, accendatur, &
saccharo extinguatur, postea destil-
letur, vt oleum fiat sacchari. Com-
modius hoc fit cum spiritu vini &
iuniperino. Si oleum petræ restin-
guas cum terra sigillata, puluere
cornu ceruini, vel simili re, oleum
separatur contra venena efficax.
Camphorã oleo Terebinthinæ dis-
solue, spiritũ vini affunde, accende,
aduratur parũ, donec ferueat, mox
insperge copiosum saccharũ, & pul-
uerem Zedoariæ, cũ cornu ceruino
pmistũ, ad restrictionẽ, destilletur
palembicũ vel retortã, separetur &
rectificetur. Poteris etiam plus ad-
dere spiritus vini, antequã igni con-
credas, vel rei similis, Alexiphar-
macum est. CA-

CAPVT XXV.

De Spiritu Iuniperino.

ARdentes & acres ſpiritus extrahuntur è multis rebus, tam aquei, quam oleoſi,& mediç naturæ. Ex aliquibus per ſe, vt ex Terebinthina, ſuccino, Gagate, Iuniperis, vino, fece vini,cereuiſia & illius fecibus & aliis eiusdem rebus: ex aliquibus vero cum additione fecum, vel vini, vel cereuiſiæ, polenta hordei, auena tritico, racemis lolii ſemine &c. ſic & ex ſemine hyoſciami, iuniperi baccis, ſambuci & aliorum plurimorum, in Alchymia etiam explicatorum. Facile autem intellectu eſt,quando ei,quod ſpiritu ardente caret, aut tam parũ poſſidet, vt ſine additamentis ſeparari non poſſit feces apponuntur (ex quibus etiam per ſe ardens ſpiritus confici ſolet) deſtillatur & rectificatur, ſpiritusſis pro aqua ardente haben-

habendus ſit: Verum ſimplici id per ſe non eſt adſcribendum, etſi aliqui glorientur, ſe poſſe ex baccis ſambuci, ſucculentis & bene maturis recentibusque ſuauem ſpiritum ardentem elicere, ſine omni præparatione præmiſſa & additamento, quod licet alias fieri poſſit, tamen illis fides adhibenda à me fuerit, cum quod pollicentur præſtiterint.

Tales ſpiritus qui per os exhibendi ſunt, accenſi, atq; ſaccharo candi extincti, donec ad oleoſam conſiſtentiam deueniant, proſunt aſthmaticis neq; tamen catarrhos è capite proliciunt vel caput grauant. Si melius temperaturus es, & inflãmationem præcauere cupis, ſumendum tibi eſt loco ſacchari communis, ſaccharum tinctum ſuccis violarum aut Roſarum̃, egregie elaborari & congelari ſolitum: ſi vero id deſit, eligas tabellas ex ſuccis violarum vel Roſ. confectas, vel ſpiritum iſtum

istum restinctum per saccharum violarum colatum.

CAPVT XXVI.

Oleum Caluariæ humanæ.

CAluariæ hominum qui sani extincti sunt, neque humi computruerunt, aut aëri diu expositi fuerunt (Medici ex anatomiis præstantiores acquirere possunt.) Quod enim Paracelsici de Sole cõmemorant, quasi peculiarem mumiam in illis operaretur, & ad exaltationem suam maturando perduceret, fundamento caret (sic etiam ex caluariis ceruorum, cum cornu, oleum per retortã paratur vtiliter, vt autor monet. Lima in minutas partes redigũtur vel conteruntur (quod si concidi possent vt lignum, melius foret) Maluatico irrigantur, macerantur & per arenam ex retorta destillantur, cum gradibus ignis.

Oleum si nidorosum sit, vel adustio-

ſtionē reſipuerit, maceretur cum aquaRoſ. in balneo M.atq; vlteri⁹ deſtillatio peragatur, per retortam aut alembicum, donec vſui aptum fiat.

Quidam olea iſta ſale rectificare ſolent, hoc admixto iterumque deſtillato, ad quartam partem in cucurbita remanentem, reliquum ſeorſim ad externos vſus excipiendo. Quod per decenſum paratur adhuc difficiliorem acquirit fœtorem, multumq; in reductione laborem requirit.

Experientia cognitum eſt, efficaciſſimum eſſe ad cerebri affectus varios, potiſſimum Epilepſiam, paralyſin, hemiplegiam &c. interdum ſolum, per ſe exhibendum, interdum cum oleo caſtorei. Redigitur etiā in vnguentū cum Ambra & zibetho vel etiam moſcho, quo illinātur nares, aures, lingua, vertex, tēpora, axillæ &c. Qui percium ferre neq̃t, eligat pinguedinē caſtorei, quæ

per

per se vniatur cum oleo caluariæ in balsamum. Exhibiturus condat in tabellas saccharatas, vt oleum succini, vel offerat cum saluia, ruta & conserua Anthos. Oleum cornuum tenellorum è ceruis, atq; caluaria, loco Bezoartici lapidis, contra venena præsentaneum est, contra febres, apoplexiam, lumbricos, spasmum &c. potissimum in variolis puerorũ & morbillis vtile, si cũ auro vngarico & balsamo saccharato mistum exhibeatur, licet adiicere aquam Galegæ, aut aquam cornuum ceruorum.

Compositum sic facies, cape caluariam hominis, caluariam cerui iunioris cum cornu, adiunge viscum Quercinum, Rad. Pœoniæ, ossa Alcis, lignum cupressinũ, baccas tiliæ, incisa omnia, & in vino Rorismarinato, Saluiato vel Pœoniato, suo tempore macerata destillétur, separentur & rectificentur : si spiritum saluiæ & liliorum conuall.

cum ſpiritu vitrioli acuatum aſſumeres,temperatius euaderet. Et id cum extracto liliorum conuallium ſaccharato exhibendum. De talibus deſtillatis etiam aquæ ſeparantur:ex reliquiis ſal paratur,quod ſic conficiatur. Caput mortuum cum recentibus oſſibus vratur, in furno figulorum aut tegulariorũ, vt prorſus candidum tenerumq; euadat, comminue, & cum aqua propria, (autor communem eligit) extrahe vt lixiuium parari ſolet, aqua ſeparetur,ſal ſeorſim aſſeruetur. Si deſit aliquid in candore &puritate,rectificatio inſtituenda cum aqua dulci ſtillatitia. Si aqua propria non ſufficiat,ſpiritum Pœoniæ aſſociare potes : Sed validum habet fere odorem, correctio fiat per arenam ſabuloſam, ſæpe tranſmiſſa & percolata. Vel paretur (vt in ſequentibus) inſtar aquæ ſtercoris humani,in balneo. In apoplexia & epilepſia fœtor non eſt curandus. A-

quæ isthæc, cum suo sale permista, ad præseruationem detur vtiliter, semper ante nouilunia & plenilunia, vt & triduo post illa, quamuis & aliqui accessiones etiam sentiant in quadrantibus Lunæ: Licet & per aquã florum tiliæ offerre, præsertim additis aliquibus guttis spiritus vitrioli, aut sacharo Lunæ, pro Lunaticis præparato, acredine quadam conciliata. Medico industrio, circumstantiæ & conditiones aliæ, administrationis modum præscribunt & definiunt, vt de his superfluum sit docere. Quidam in tali affectu plurimum extollunt oleum & spiritum descensorium ex ligno coryli, quod serpentibus aduersatur. Posset hoc eodem modo, vt Guaiacinum & caluariæ oleum præparari. Opinor D. Rulandum hinc oleum suum heraclium confecisse & conseruam antepilepticam, quam vehementer prædicat contra Epilepsiam, odontalgiam, lumbricos & par-

tus difficultatem &c. de quibus in centuriis. Ligna densa & dura, continent salem nitrosum, quemadmodum & Plinius nitrum ex cinere conficiendum docet. Huius natura permanet in oleo & spiritu descensorio, quæ hinc acidum quid & aluminosum sapiunt: resipit enim alumen cum nitro mistum, notumq; est doctioribus quid alumen catini dictum sit.

Nitrum vero est coniunctum sali petræ, valens contra lumbricos, febres, putredines (vnde Epileptici quandoque insultus) pituitam, calculum, obstructiones insigniter, vnde & dolores dentium ex catarrhis lumbricos, & putredinem abigit.

Ex hoc fundamento de viribus talium oleorum & aquarum plura colligere licet, quemadmodum & hoc ipsum etiam declarat succinum. Quod cũ nitro, sale, & salepetræ coniuncta sit substantia oleosa,

testantibus illorum historiis, quod ipsum etiam in operibus meis, libro de bitumine, potissimum vero de Halosantho vel spermate Ceti, demonstraui. Notandum præterea est hic latere arcanum peculiare contra morbos chronicos, & cum mineralibus maximum esse illis commercium.

CAPVT XXVII.

De sanguine atq; melle.

DE essentia horum duorum Paracelsistę mira scribunt, plus ex opinione & consequentia vana, quã fundamento solido. Qui ex sanguine hominis confecturus est salem, aquam vel oleum, ad morbum caducum pellendum, is sanguinem arterialem colligit hominis sani, nequaquã cacochymici, qui post concretionem, prorsus sit vnius eiusdemq; coloris, omnibusq; notis sanitatem demonstret, hinc serum fla-

flauescens effundatur: sanguinem vero commisce cum sale Pœoniæ, aut sale cornu ceruini, aut exigua portione spiritus vitrioli, aut sulphuris, maceretur diebus 30. deinde aqua destillatione separetur, feces terantur, illisque aqua propria reddatur, maceretur aut putreficetur de nouo, destilletur, idq; tertio opere facies, si velis, donec oleum appareat, feces autem reuerberentur & in salem redigantur, aqua ab oleo separetur, potes permiscere cum balsamo sacchari, & pro febribus putridis per os exhibere, vt & in epilepsia & similib⁹, salem forma trageæ, cum vnicornu, cornu ceruino, Alcis osse (quod aliqui lixiuio commacerant vt conteri & comminui possit velut lapis) saccharo admixto. Lulliani sanguinem cum sale miscēt & per mensem putrefaciunt, destillant bis, inde quintā essentiam per circulationem faciunt, vt instar spiritus vini euadat. Atq; hoc modo

progrediuntur cum ouis, capis & carnibus aliis, cum lacte similiter procedunt. Sic etiam alium sanguinem pręparabis. Talia medicamenta hominibus, qui non Cannibalice viuunt, cum resciuerint, inamœna fiunt, nihilominus cogitur Medicus etiam respicere affectiones. Notum vero est experimentum de sanguine Turturis. Si omnino medicamentum ex sanguine constare debet, hinc melius præparari posset. Sunt tamen & alia æque præstantia medicamina, ne hominem mactare necesse sit. Quantum ego suspicor Lulliani atque Paracelsistę multa de Mumia liquida microcosmi, monarchia & prima materia gloriantur, cũ tamen sint paucissimi, ꝗ tale mysterium vnquam perfecerint, aut qui vires experientia tantas explorarint.

Sed facile est modum ex Theoricis præscribere vt ipsemet feci, verum enimuero in gratiam autoris

nostri ita esto, cum aliquoties profiteatur, se omnia illa expertum esse & confecisse. Rusticus olim multa medicamina filię pro caduco & spasmo exhibuit, sed omnia frustra; donec bouile perscrutans, lacunas lotii vaccarum plenas exhauriret, aqua dilueret atque percolaret, & ægræ afferret, atque ita morbum dissipauit, vt nunquam rediret: multi id imitati, bubula stercora exhibuerunt, sed multis sine successu fuit quibusdam vero cum aliqua salute balsamus non semper in libris est quærēdus. Mel ipsum quod attinet, quidā Paracelsita, tā audacter de eo gloriatur, vt credat si quinta essentia illius possideatur, de aliis nō esse cogitandum, cum hominē nullus morbus neq; internus neq; externus inuadere possit, quin hac ipsa quinta essentia mirabili breuitate curetur: hæc si vera sunt, valeant omnia Chymica & pharmaceutica studia. At quamobrem istud? Est inquit

omnium florum subtilissimum nobilissimumq;: vanum: lege cõmentarium nostrum de melle, sunt etenim flores infiniti fere, quos apicula nulla attingit, est mel amarum, est aliud venenosum &c. Quod ad oleũ & aquam mellis, placet vt optimũ syncerissimumq;, quod è flauis effluit, ad essentiam assumatur. Autor cum arena, per alembicum destillationem facit, in cinere per gradus: cohobationem tertio repetit) h. e. feces reducit, & post macerationem aliquam, iterum destillat) vltimo rectificationem quinquies peragit in balneo. aquam ab oleo segregat, inter destillandum vas recipiens permutatur: ita vt aqua alba prior, in alio vase flaua, posterior excipiatur, cum oleo.

Quidam primo aëream aquam, in balneo destillant per alembicum, deinde in cinere, tertio in arena liquores reliquos: sed iuxta præstantiorem destillationis modum, prior

aqua

aqua reddi debet, quo vna cum altera educatur. De his consule Alchymiam & alios autores. Qui gradus recte norit, ille in arena etiam destillare nouit aquam & oleum, sine labore graui.

Est autem præceptum hoc valde necessarium, in omnibus oleis per alembicum destillandis. Inexpertis artificium fallax, qui si quamprimū successum non habeant perspectum accusant præcepta, tanquam non vera. Aquam acrem vsurpare solent ad solutionem solis, in calcem, & ad erosiones: Mulierculis receptum est hac ipsa capillos tingere in flauedinem, de reliquis legatur autor.

CAPVT XXVIII.

Oleum Ceræ.

PRoponitur ab autore ratio operosissima. Quidam ceram à melle per putrefactionem separatam accipiunt, iniiciunt laminulas plumbeas

vel arenam desuper, & in vasis probe perlutatis, cum alembico, destillationem procurant, sed alembico rostrum breue & latum esse decet: primum progreditur aqua, mox materia crassior, tandem oleum, quod corrigendum est per destillationem in balneo, cũ aqua Hyperici. Receptacula oportet etiam permutari, cũ essentiæ fuerint diuersæ. Crassior materia de nouo destillanda venit, ac si nouum simplex esset, additur arena, cinis & sal: vel loco illorũ, plumbum. Ignis necesse est vt sit iustus, non nimius, quem si recte instruas, toties repeti non opus fuerit.

CAPVT XXIX.

De Oleo Myrrhæ.

SAtis artificiose ab autore describitur. Paracelsus cum oleo ouorum soluit, quod simul etiam patat. Corrigi potest id cum vini spiritu, destillãdo per retortam, vel pro modo tincturarum, cum spiritu, extrahen-

hendo, deinde hunc segregando per balneum, quod ille appellat exsiccare, cum nimirum spiritus abstractus fuerit, vt nil præter oleum solum relinquatur. Optimum est in asthmate, pleuritide, ad fœtum mortuum, vbi cum maluatico exhibetur, cum aqua Cinamomi, aqua pulegii. Imponitur etiam vmbilico, cum oleo succini. In phthisi permiscetur cum tinctura sulphuris, & cum vino pucino vel decocto caponum propinatur.

CAPVT XXX.

Oleum Mastiches.

DEstillatio per descensum in mastiche, non ab omnibus probatur, facillime enim liquescit mastix & integre per laminas in subiectam ollam decidere potest, taceo vt tam diu hæreat, quo oleum præbeat adustionis particeps. Nihilominus constat tales resinas in igne (si modo recte regatur) oleosum spiritũ exhibere, qui reliquũ etiã soluit: Periculũ fac ere potes ampulla, luto obducta, im

mensa: pro recipiente vitrum angustum, cum pauca aqua in aliud vas, cum aqua collocetur, lateribus circumseptum, tegulæ vero latiores, aut laminę ferreæ excisę, pro foco inseruiant, cõueniẽtius est cũ vino aut cũ spiritu vini (eligitur & aqua stillatitia) digerere, deinde per arenam gradatim destillare, si in arena confici posse diffidas, primum in balneo phlegma extrahatur (prius tamen iniecto sale & laminula plumbi) deinde in cineribus, igne primi gradus oleum, vehementiori vero oleum rubrum euocatur, quod seorsim etiam colligendum, vltimo materia descendit crassa & rudior. Sed & de his plura in Alchymia.

CAPVT XXXI.

Spiritus & oleum Terebinthinæ.

VAriis parantur additionibus, alius enim spiritum vini affundit, alius coniungit Tartarum, & Crystal-

ſtallinum ſalem : Item alius aquam affundit, vel aquam & ſpiritum vini iunctim, &c. lege Alchymiam. Si deſtilletur in cupreis veſicis, contrahitur color viridis. Hoc vulneribus vtile eſt, ſpiritus flauus, & rubeum oleum, ſeorſim excipitur, ſæpiusq; rectificatio quæritur cũ deſtillatione aquæ ſi oleum Terebinthinæ florib. ſulphuris affundas, cum portiuncula aliqua camphoræ, idq; diſſoluas in phiola, fit balſamus ſulphuris, hinc detrahe tincturam, cum vini ſpiritu. Spiritus Terebinthinæ alias omnibus gemmis ſuam eſſentiam extrahere dicitur, quod fieri poſſet, ſi ad id etiam fuerint præparatæ. Sed hic etiam adhibetur ſpiritus vini alcaliſatus aut acetum ſtillatitium, vel ſpiritus ex alcali & ſimilia, quemadmodum iſta omnia fuſius in Alchymia locis ſuis docentur. Vſitata ratio eſt calcinandi gemmas per ſalem nitri, & extrahendi ſubtiliores partes, per vini ſpiritum, quod relinqui-

tur,

tur, denuo calcinatur & extrahitur, donec natura neget. Spiritus abſtrahitur, eſſentia de nouo reuerberatur & attenuatur, in cella ſoluitur, iterũ coagulatur & cuſtoditur. Poteris initio etiam cum aceto radicato, aut ſucco limoniorum ſtillatitio, ſale ſuo exaſperato, calcinationem incipere, vel cum ſpiritu ſalis gemmæ, aut ſalis tartari, aqua mellis corroſiua, &c. quæ deinde edulcantur, reuerberantur extrahũtur & exaltãtur, donec in vino aut aqua, inſtar ſalis, liqueſcat: hinc fiunt gemmę potabiles. Sunt qui gemmas calcinẽt, margaritas, corallia, &c. cum nitro, in reuerberio: calcem ſoluunt in balneo, aut fimo, vel cella, ſuper tabula, idque oleum eſſe perhibent, ſed caue, plerunq; enim parum gemmeę ſubſtantiæ ineſt, ſed multum nitroſæ.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Oleum Succini.

TRiplicem olei ſuccinei modum proponit autor: primus eſt per deſcenſum, alter per retortã, tertius per ſolutionem cum ſpiritu vini coincidit, & quartus, nempe cum in oleo craſſiore, ex quo ſegregatum fuerit ſubtile, cãdentes ſilices extinguuntur, ac vt oleum magni magiſterii ſeu benedictum, deſtillatur. Primum oleum per deſcenſum rectificat, deſtillatione repetita, per retortam, cum ſilicum fragmentis. In Euonymo peculiaris eſt ratio in qua correctione multa opus eſt, illum inſpice. Per retortã ipſe ſæpius ſuccinum, vt & nigri Succini oleum elaboraui, ſed ſale adiecto. Primũ leni igne, ſpiritus prodit albus è ſuccino flauo & albo, qui apparet aquæ receptaculi innatans (oportet autẽ te capacẽ habere ampullã, aliquouſq; aqua repletã, quæ ſi in ventris poſte-

riore parte fistulam haberet, pono modice reflexam, cui aliud etiam receptaculum, pro superfluæ materiæ receptione adiunctum esset, conducibilius foret) deinde cum igne validiore, oleum apparet flauum. Sed ignem non immodice augebis, donec rubedo manifestetur: Tum si vnico saltem receptaculo vteris, permutare potes, licet non sine difficultate id fiat. Oportet enim commissuras quam exactissime clausas esse, & crasso luto obductas, ne spiritui exitus pateat: vbi igitur lutatio est repetenda, rostrum plerunq; confringitur. Ego igitur coactus per retortam Waldenburgensem, omnia simul destillationi commisi: sed per rectificationem cum spiritu vini, aut aqua stillatitia, spiritus purior & oleum, etiam per alembicum descendit, facilius tamen per retortam. Aqua illa iners quæ in receptaculum fuit illata, primum candida esse solet, lactis instar, deinde flauescit &

validum odorem acquirit, ni corrigatur, inutilis est. Spiritum quoq; & oleum sæpius rectificabis aqua recenti, donec salsedinem acutam, nitrosam, ac adustiuam qualitatem aũferas qui post primam rectificationẽ ad nephriticorum & calculosorũ affectus vsurus illo est, conferre potest sed totum peruadit corpus & alterat, si modo tres guttulæ in vino hauriantur: sicque prodest aëris infectionibus & pesti. Oleum crassum ad tumores externos potest accommodari, nisi oleum inde lateritium fieri animus fuerit, substantiæ vero ratione, bitumini Iudaico assimilatur.

Ex succino nigro, prodit oleum, carbunculi modo ruffum, acre, perurens, hinc nigrum petroleum: deinde picibitumen, quod ceræ modo ad lucernam liquescit, consistentia etiam molli, ceræ simile apparet, aliquibus locis lumini oppositum rubeum, pelluceus videtur, alias nigrũ

& opacum. Feces remanent paucisſimæ, tota enim fere quantitas in liquorem abit. Cum primum oleum aſcendit, ſuccinum in cucurbita reperitur tam molle, vt inſtar luti mollioris, vel mannæ, ad tactũ appareat, ꝙ expertus ſum, cum aliquando inter operationem retorta vitrea rumperetur.

Profluit etiam inde ſal pinguis, naphtheus, qui igne liquatur vt nitrum: Autor noſtri operis ſuccinũ per retortã deſtillat, cum arena permiſtum, in ipſa arena. Excipit omnia receptaculo vno, ter rectificat, balneo, macerando & deſtillando, ſemper deſtillatum reſiduo reddendo.

Vltimo quod purũ profluxit, eluit aqua roſarum. Eſt & hic modus commodus: ſed ſi omnia ſimul excepta ſunt iterum per retortam vnica vice, in cinere, igne leniori ſeparari poteſt oleum, deinde ab aqua (quidam acetum eligunt) deſtillari, cum autoris proceſſu, vix duob. menſib. finem imponeres. Sunt qui ſuccinum ſtil-

la-

latitium reddant, cum lixiuio acri, illudq; rectificare soleant, sale marino sed parum laudis meretur.

Alia ratio ab operantibus suscipitur, qui silices cum aceto, vel cineres puros cum spiritu vini macerant, silicum pollinem immiscentes, & per retortam destillationem curantes, aliquid commendationis etiam habet.

Tertium modum cum spiritu vini autor fortuito tradit, sibi inexploratum, nihilominus etiam ab aliis describitur, & à Paracelso magisterium carabes vocatur, & vt ipse obseruaui, succinum post macerationem egregie molle fit, vt verisimile sit, etiam hoc pacto oleum extrahi posse. Necesse autem est vt succinum sit electissimum, in puluerem comminutum tenuissimum, cum spiritu vini quater destillato, qui suo nondum destitutus est oleo, irrigatũ, cinere calido vel arena mediocriter calente digestum, tum demum oleum ex spiritu vini innatans deprehen-

detur. Spiritum balneo leniſſimo abſtrahe, vt oleum pulueri admiſtũ hæreat, iniice nouum, prioreſq; labores reuoca, ita ſuccinum in oleo ſpiritus diſſoluetur, vnumq; fiet ſolutum, viribus non exiguum.

Multum vero ſolutionem promouet calor continuus, qui in cauſa eſt, vt ſuccinum humiditates ad ſe promptius trahat, atq; in liquorem mutetur. Notum alias eſt mineralia pinguia oleis reſolui, fieri etiam poteſt in maceratione talium, vt partes aëreæ primum vertantur in oleum, in quod reſoluuntur deinde alia. Si vero citius oleum expetas, cape oleum terebinthinæ, ſpiritum vini optimum, & in modum dictum progredere, vel ſuccinum oleo terebinthinæ ſoluatur, tincturam cum ſpiritu extrahe, è ſoluto, tandemq; ſpiritus inde ſeparetur, ad oleoſitatem vſq;, quam per goſſypium percolare & depurare poteris.

Quod de ſuccino in hoc tertio mo-

modo docetur, idem Paracelſus tradit de gummatibus, Myrrhæ, Opoponacis, &c.

CAPVT XXXIII.

De ſulphure ſublimato ſeu floribus ſulphuris.

AVtor diſpoſitionem atque progreſſum in ſublimatione, ſatis diligenter perſequitur, vt declaratione non indigeat. Quod autem ſulphur attinet, illud pro medicina & Alchimiſtica tinctura, varias ſublimationis formas ſubit: autor reſpicit medicum vſum, qui commiſcet ſulphuri vitriolum æquis portionibus, idque propterea, vt habeat ſimul aliquam correctionem, quo cerebrum & ſpiritus animales minus lædat balſamus etiam augeatur, ad ſananda vlcera, partim etiam vt propter colcotar, terrea & impurior pars in fundo ſubſiſtat.

Aliqui autem eligunt vitriolum

non recens, sed calcinatum, pro sulphuris ℔. j. illius ℥. 9. vel 10. solet tamen & sulphur alias etiam prius preparari, atq; cum aceto vel rore maiali, percoqui vel macerari. Inter sublimandi laborem, quidam multis vtũtur ollis sibi insidentibus, quidam alembico cæco, superne tamen foraminulo pertuso, alii rostrato, vt autor nostri operis: Cæcus alembicus prius non est imponendus, nisi spiritus humidus sit dissipatus, & ascendat siccus, quamuis etiam humidiores spiritus, per foramen exhalare possent, non tamen tam commode, vt per patens orificium, de quibus in Alchymia & cõmentariis illius plura inueniuntur. Quod semel in sublime actum fuerit, id recenti vitriolo permistũ, de nouo sublimãdum est: Statuit artifex operis, septies esse repetẽdã sublimationẽ alias tertia sublimatione finis imponi solet, & consideratur an rubescant flores egregie vel è luteo flauescant, tumq; institui-

tuitur rectificatio cum aqua Theriacali vel rosarum pro exigentia vsus.

Ex hoc si solutũ expetas, vtere ingenio vt in succino declaratum est. Et hoc pacto etiam extrahitur illius tinctura cum oleo terebinthinæ, etiamsi artifices aliqui spiritum vini exasperatum sale Ammoniaco sumant. Quidã tincturam euocant cum vrina, & cum aceto rectificant. Multi liquorem tartari commendant, vt appropriatum.

Solutum interdum etiam cum calcotare permiscetur, & per retortam destillatur, atque vltimo rectificatur sic fit oleum sulphuris verum.

Sulphur cum Mercurio, recte & ex arte sublimatum, masculum constituit, seu aurũ philosophorum, quod reductum in primam suam materiã multa arcana in se habet recondita. Fit & inde cinnabaris vulgari modo, qui ad tincturas chymicas, ad colores, ad luem veneream & alia expetitur. Ambaldus, discipulus Para-

celsi,hinc pseudopanaceã extruxit multosq; decepit,qua de re consule mea scripta tam germanica quã latina,potissimum tomum 4. meorum singulariũ,vbi inter alia de Panacea agitur. Is inq̃ Ambaldus ẽt(an.1601. Studgardię virulentum pasquillum & tractatum,de terra sigillata, iterũ edidit,in quo tanquam rabidus, calumniis aduersarios petit. Verum is furor hominis,manifeste mendacis, me parum afficit. Illius enim Panacea nihilominus in vanaceam euanuit. Iste qui in gratiã illius Pasquillum confecit, vt à fide dignis relatũ, in facinore deprehensus, fuga salutem petiit, qui tamen alias vir nihili fuerat,mirum Studgardiæ famosum istum libellum licuisse procudi.

Altera sublimatio sulphuris,cum suis additamentis, præstãtior habetur ad vlcera pulmonum & putredinem,putarẽ autem hoc labore posse nos supersedere,si nimirum flores sulphuris præstantiores in tinctu-

ram redigerentur, & cum balſamo aloës & myrrha vnirenrur, tinctu-raque croci adiungeretur, patet ex ſimplicium natura, efficacitas arcani & elyxiris, ſi tinctura è floribus per ſpiritum Terebinthinæ camphoratæ ſoluta, cum ſpiritu vini extrahatur, & cum illa tres eſſentiæ componantur. Simul etiam autor meminit ſulphuris fixationis, per eandem ſublimationem, quemadmodum enim aliqui ſublimatum Mercurium, ita & ſulphur figunt. Colcotar enim fixum, ſulphur detinere debet, vt ignem ferat, hoc aliqui conantur per lixiuium calcis obtinere, quod ipſum aliquando tẽtaui, deprehendi calcis nimiam quantitatem, pro qua ſulphur quidem effumare non poterat, alias tamen ſuam retinens naturam vt ante. Quidam conãtur ipſum à croco Martis ſublimare & figere. Multi multa de oleo ex Soda Gallica referunt, quidam de oleo vitrioli & aqua *Sulphur fixum.*

Regia, quæ cuiusuis experientiæ relinquo. Verum quidem est, parari aquas fixatorias vel Gradatorias ad cinnabarin Marchasitam & similia, quibus Mercurius & sulphur illarum præparetur, argentum in aurum tingatur &c. quemadmodum de cinnabari, in hanc rem, plura publicis monimentis extant, quæ Magisterii locum defendere queant, sed illa iudicare pro vsu accomodo, cuique fas esto.

Ad Magisterium vero magnum seu perfectum, sulphur tale non exoptatur, etsi aliquando in suam sententiam vi quasi pertrahere vellet quidã, asserens ex sulphure, per sodam, & vini spiritum rectum, calcẽ fixam fieri, quæ ignis filius esse deberet & albæ terræ, vel sulphur philosophorum. Sententia illius erat, salem Sodæ Lugdunens. Galloorũ, cũ sulphure permiscer, & reuerberari igne lento, per horas 12. sulphur in igne subsistere inviolatũ, tũ fore subli-

blimandũ, & sublimatũ à sale separandũ, sic sulphur remanere albũ, & ebullire ad ignem, sine decessione. Quin & prætendebat, tincturã inde extrahi, per aq̃ ex sale sodæ confectã & spiritu vini vero, quæ ad transmutationẽ faceret: quo pacto etiam tale sulphur præparatũ igne elaborãdũ sit, iuxta normã lapidis, ad perfectionẽ vsq;. Verũ equidẽ est istud etiã apud veteres sulphur cũ sale Alcali (vel in defectu huius, cũ sale petræ) sublimatũ fuisse. Quidã sumũt alumẽ & sal, eo vsq; sublimãt, donec albescãt, verũ in illo Mercuriũ philosophorũ (in quo est, quicq̃d quærunt sapientes) reperire nõ possum. Longe etiam aliud intelligunt philosophi, quãdo sermo illis est de sulphure, in suo Magisterio. De tinctura alibi etiã actũ est. Verum ad labores metallicos, sulphur oportet prius esse fixum, in aqua sua forti, sæpius immaceratum & abstractum, tandemque reuerberatum, primum

ni-

nigrum solet esse, deinde candidum fit, luteum, rubeum: hinc extrahitur tinctura, per spiritum alcalisatum sale sodæ Gallicæ neque etiam repugnabo Alcali Gallicum, melius ad rem facere quam Hispanicum vel cinerem clauellatum, qui igne scilicet fugaciores: Quidam etiam meminerunt crystallini sulphuris, vel crystallorum sulphuris, quæ parare conantur per spiritum vel oleum vitrioli, quod vitriolum in mineris cupri effoditur, perhibentes tale crystallum igne, sine fumo diffluere, simo fixitatis naturæ illorum, & indicio tincturæ perfectæ ad albedinem, quia requiritur albedo, (equidē radii sulphurei facile sparguntur in soluto.) iam vbi spiritus vitrioli sulphur soluere & figere possit (est autem fixatorius alias, an vero etiam metallice figat, experimētatori artis relinquam) idq; more metallico, credi posset, sed difficillimum erit absq; Mercurio: ideo atten-

ten-

tendendum de quo ſulphure ſermo ſit. Quo pacto ſulphur cupro permiſtum & concorporatum, mirabilem violaceum colorem exhibeat iuxta Gebrum, periculum faciant artifices.

CAPVT XXXIV.

De floribus Antimonii.

NEque hic diligentia autoris deſideratur, in declaranda operatione, vt in ſulphure, vt tyrones exemplar habeant ſublimationis artificioſæ. Sal Ammoniacus qui adiungitur, arte fit ex vrina & fuligine, vt ſuo loco in Alchymia docetur. Hic aquila eſt, qui ſecum eſſentiam in ſublime ducit & in altum pellit: nec ſolum in cucurbita & alembico, ſed etiam in ouo vel ſphæra periculum facere licet. Nam redduntur flores albi & rubri paſſim crocei: veritatem harum te Alchymia edocebit, facile autem flores adhæreſcunt ferro, cum quo Antimonium peculiarem

liarem societatē init, nōtā fusoribus globorū bellicorum & fornacū ferrearum, (contingit idem etiam à sulphure, estq; Antimonium species sulphurearū marchasitarū, mistum cum minerali aliqua substantia, vnde & Dioscorides ait, ꝙ plumbū h. e. Regulus, bisemutho cognat⁹, inde oriatur, si nimium aduratur) & propterea nō inepte agunt illi, ꝗ galeas è ferro, ad op⁹ istud assumūt. Quod vero autor docet, hunc verum esse gradū ignis, si initio ad alembicum vitreum (potest & lapideum, & vice huius assumuntur ollæ aut lebetes) digitus vix tactu sustineri possit: indicium vero absolutę sublimationis sit, si calor in alembico remittat, vbi alias eo intensior in igne reddi debe ret: id spiritibus est adscribendū, qui dū feruentes ascendunt, alembicū afficiunt, & excalefaciunt, remitten te vero ascensu, remittitur & feruor, maxima ꝗ a alembicus frigori expositus est, & ab igni non contingitur. Rupta cucurbita, validissimi exoriū-

tur ſpiritus, quos fumum venenatũ autor appellat. Certũ autẽ eſt flores nihil aliud eſſe niſi talis fumi quoddã coagulatũ: vnde concludunt aliqui, Antimoniũ non carere arſenico, cobaldo & cadmia venenoſa: ſtatuũt q̃n etiã hinc emergere vim purgandi veneficã, in Antimonii vitrò, de q̃bus omnib⁹ Deo dante in commentariis agam. Tu ſi phiſicus eſſe velis, ne cures huius aut illius verba, ſed q̃ natura ipſa ſuppeditat. Eſt antimoniũ, minerale compoſitum, ſeu metallũ imperfectum, q̃ ſuo abundat ſulphure, atramento & Mercurio, quamuis valde impuro & crudo ſpirituali & fluxo, q̃ arte cõprobari poteſt, quæ inde ſubſtantiam vrentem, liquorem mercurialem, ſalem vitriolatum & colcotar educit. Sed notæ tibi ſunt vires ſublimati vulgaris, quod è vitriolo & Mercurio, plerunque etiam ſale conficitur, quorum per ſe neutrum venenoſum eſt.

Notabis tamẽ & hoc, ex antimonio, cũ nitro, vitrũ conflari, aliud, q̃

nulla

nulla vi purgandi, neque veneno præditum sit. Præterea posse flores à salsis, venenosisq; spiritib9 ita separari, vt ne minimum effectus virulenti supersit. Considera etiam vna quomodo vitrum purgans tractari queat, vt scopo artificis satisfaciat & arti obediat. Et ex his fundamentis de Antimonio iudicium recta ratione ferre poteris.

Sublimati flores figuntur sublimatione scopi inuersi, aut per accidens. Spiritus salis, & quod fluxum nimiũ est, inde separari debet, quod etiam igne aperto fieri potest. Sed spiritus essentiam rapiunt, propterea inhibendi sunt & cogendi vasis obturatis, vbi accensum iterum excipitur & cum fixo conteritur vt cum illo vnam naturam subeat, tum imperceptibiliter spiritus nimium fluxi consumuntur, perinde vt fit in tritura. Et sic reliquum ad fixionem præparatur commodeq; reducitur vt pro suæ naturæ ratione in igne

sub-

ſubſiſtat potiſſimum autem in vaſe clauſo (non enim vnum eſt idemq; vaſe clauſo & aperto eſſe, vt apparet in cinnabari & ſublimato per aquã gradatoriam fixatam, quæ igne aperto mox exhalant, ſed clauſo vaſe vix ſeparari poſſunt.) Flores hi inter fixationẽ (qui labor multoties ſubeundus) ſanguinei fiunt, ex quibus per vini ſpiritum tinctura extrahitur, de quibus Seuerinus ait, eſſe Antimonii prædeſtinationem ſummã ad Medicinam. Autor noſter ſoluit per tabulam, in balſamum, continet enim adhuc aliquid in ſe ſalis naturæ, propter ſalem Ammoniacum: balſamum vero rectificat per aquam pluuialem, quæ illius eſt dulcificatio, vnde illi acrimonia ſalis Ammoniaci & empyreuma ſubtrahitur. Satius autem foret adhiberi aquam deſtillatam, ne eſſentia aliquam miſturam peregrinam attraheret. Aqua pluuia miſtum eſt imperfectum in qua coagulatio eſt halituũ & va-

Vide ne ſulphur in tincturã pereat.

porum, vnde & in acetum transire potest, & nutrire, velut potus compositus. Quidam elaborant etiam flores albos, & fixos appellant: contingere id potest, per aquam ouorũ, maceratione & repetita destillatione. Dulcescunt iidem per lotionem ex aqua Rosacea, dum spiritus suos salsos & mercuriales amittunt, fiunt diaphoretici, hinc colligere licet, quæ causa sit, quod flores incorrecti, etiam grani vnius vel dimidii pondere exhibiti, tam insolenter & velociter operentur: nempe à spiritu salis crudo, mercuriali, atramentosoque, quorum conspiratio veneno non est inferior: nihilominus offerunt sese agyrtæ, Iudæi & similes deperditi homines, qui tale medicamentum vt essentiam saluberrimam mire deprædicent, indeq; laudem quærant, quasi illorum medicamentũ tam sit efficax, vt vix linguæ admotum, vomitu expurget totamq; naturam concitet, q̃ ipsum medicamẽta Galenicorũ putria nũ

quam

quam præstent. Sed obtemperet his qui velit, simulq; periculum subeat.

Flores Antimonii albos, nemo temere in vsum vertat, nisi de illorũ ꝓfectu & artificio certior pri⁹ sit redditus. Multa p̃terea ex Antimonio ad vsum Medicũ & Chymicũ p̃parãtur, vt ad oculũ patebit, tũ in cõmentaris chymicis, tũ in alchymia edita. Ipse inde extraxi flores albos & purpureos, calcẽ fixã diaphoreticã, vitrum purgans, vitrum diaphoreticum, regulum, tincturam rubram, calcem flauam colorem cinnabarinum, destillatum & alia. Varios in colores mire verti potest, vere Mercuriali sulphurea & atramẽtosã varietate, quæ ipsa tanq̃ principia metallorũ, cum sale nitro credẽda, sulphur & atramentũ vna cõprehendendo, vt experientia manifestum. Et ad hanc rem legere potes tractatum Alexandri à Suchten, sed cum iudicio, nam etsi in antimonii elaboratione aliquid viderit, minus

tamen vere de illius natura iudicat, quod demonſtratione euinci poteſt ſi diſputationi locus daretur. Et huius farinæ quamplurimi ſunt Paracelſi tyrones. Antimonio intercedit familiaritas cum bismutho, cuius mirabilis natura, facile in opere ipſo apparet, de quibus tamen in metallicis actũ, quæ conſulere licet.

CAPVT XXXV.

De floribus ſalis Ammoniaci.

SAl Ammoniacus vt in Alchymia ſit vſui & ad externos affectus ſubliquida forma, potiſſimum ſublimatione præparatur. Flores Aquila alvt(vt ſtibium aquila nigra & aquila rubra ex Luna vel eius compare) dicuntur, propter naturam ſpiritualem & ſummé in altum aſcendentem, acremq; qualitatem. Salis vſus eſt in Cimento, in Coloritio, & aqua Regali (vnde & nomen aqua Regia, quia aquila regina auium

eſt,

eſt, & Iouis regis miniſtra vel nuncia, vt poëtæ fingunt, altiſſimè euolat & acutiſſime cernit) maxime aurum & ſublimatum ſoluere poſſe debet, reliqua inuiolata ſeruare metalla: etſi ſint ex artificibus, qui ad aquam regiam minime adhiberi poſſe credant, quod nimium ſal hic acer & corroſiuus putetur, neq; etiam ratione caret.

Sal iſte naturaliter quidem in Æthiopia & Ægypto ſub arena inuenitur vnde & Ammoniacus dict⁹ eſt, vel Armeniacus, quia ex Armenia primum à mercatoribus delatus eſt. Vires poſſidet nitri, quod iisdem etiam in locis reperitur, ita vt ſal Ammoniacus: ſal Vrinæ, ſal Alkali, ſal lignorum firmorum, ſal ſalicis cinerum (ſunt enim & ſalices nitroſæ, attrahentes ad ſe ſuccum nitroſum cum nutrimento, ita vt interdũ ex iis nitri aliquid reſudet, teſtante D.D. Leonh. Rauwolfio) ſal Tartari, ſal Petræ, marinus, naphthicus, *Sal Ammoniacus.*

ſal gemmæ, halmirax, flos ſalis, aphronitrum, Borax &c. pro ratione maioris & minoris, inter ſe multum conueniant. Et huius etiam naturæ ipſe eſt ſal metallicus, qui ex mineralibus extractus eſt. Plerunq; ſal & nitrum proportione varia coniunguntur, quibus fere admixta eſſe ſolet bituminoſa quædã pinguedo. Hic igitur ſal Ammoniacus nõ ſolus ſublimatur, ſed cum ſale fuſo communi, & quo magis feculenta & terreſtris materia in fundo detineatur initio, aſſociatur ſquama ferri (quæ inter cudendum decutitur & alias ad medicos vſus expetitur, vt & ad cultrorum acies) alii artifices admiſcent ℔. 1. ſalis Ammoniaci ad ℔. 1.ß. ſalis fuſi & ſublimant mox, ſine ferri ſquamis. Verum autor noſter in prima ſublimatione non meminit ſalis fuſi, vt neque in altera, cuius tamen mentionem facit in tertia.

Hinc colligendum ex illius ſenten-

tentia, primam sublimationem faciendam cum squamis ferri secundam cum sale fuso, vt & sequentem ad 5. & 7. vsque, vasa oportet esse ampla, sal enim Ammoniacus impetum facit, ceu nitrum, vt angustiora vasa omnia disrumpat, vnde in cemento regali peruium datur ostiolum si fixus non fuerit.

Flores quomodo in liquorem vertantur dilucide expositũ est, possunt etiam inseri vesicæ, & ad calentem aquam suspendi. Quidam humectant spiritu vini, & in phiola aut cucurbita soluunt, quod deinde in aquam fortem destillatur.

Docetur etiam quo pacto ad medicinam liquor vtilis sit & quomodo conseruandi sint liquores destillati atq; succi. Sed cõseruatio requireretur, per ꝓprium rei cuiusq; salẽ, verũ existimatũ sal Ammoniacus, fact⁹ ex vrina partẽ, vniuersale quoddã cõseruatiuũ. Veterinariis sal ille vsu cõptus est ad vngues oculorũ in equis,

quas hoc pacto erodunt atq; detrahunt: hinc traductus est vsus ad homines, & quidam liberati fuere: hoc ipsum etiam florum beneficio obtineri posset, sed cum debita prouidétia, ne tunicæ oculorum simul lædantur. Multis in vsu est ad dolorem dentium ex carie vel vermibus, aliquid imponere aquæ fortis, huius loco eligi posset flos salis Ammoniaci.

CAPVT XXXVI.

De Arsenico.

EST naturale atq; artificiale: naturale reperitur ex sententia Gebri citrinũ & rubeũ: arte vero paratur cũ sale album. Aliud quod est fumus ille fodinarum, Realchar dictum vel Cobantum, quæ omnia sunt venenata, & vsurpantur ad metalla, & ad medicinam. Opinio fuerat Cardani, Arsenicum esse materiam lapidis philosophorum, quod demonstrari conatus est oraculo Sybillino, sed

10.de var.

sed error est. Nihilominus veteres hoc nomen imposuerunt suo lapidi vt & nomen sulphuris, sed mystice atq; allegorice. Geber ait Arsenicũ esse compar sulphuris, & quemadmodum hoc tincturam exhibet rubeam, ita Arsenicum albam. Arsenicum inquit differt à sulphure, quia est albedinis tinctura de facili, rubedinis difficillime. Figitur sicut sulphur: vtriq; sublimatio melior est ex metallorum calcibus nõ tamen sunt materia perfectiua huius operis. Habent autem adminicula perfectionis in casu. Eligitur lucidum, squamosum, scissile, &c. Ex his verbis circumspice an concludere liceat, neq; sulphur neq; Arsenicum compositionem lapidis ingredi: nihilominus media sunt, per quæ ad perfectionẽ via datur: ideoq; si Mercurium philosophicum cum sulphure elabores ad rubeam tincturam faciet, si cum Arsenico ad albam. Cur autem noster autor aliquid in tam venenoso

Arsenicum symbolum lapidis albi sulphur rubei.

minerali operetur, in causa est balsamus medicinalis, qui in illo delitesce re dicitur, ex Paracelsicorum opinione, neq; dubium est, quin ad cancri hinc medicamentum fiat præstantissimum, vt & ex Antimonio & aliis, de quib. supra: An vero tam salubris sit tamque innoxius, vt etiam ℔.j. equo impune deuorandam præbere liceat vel quem Ioan. Gramman, tyro Paracelsicus, magno pondere deuoret, ipsius committo experientiæ. Certe si medicamentum fuerit tam præstans ad lepram, scabiem Hispanicam, cancrum, phagedenicos tumores, fistulas & alia, vires non fuerint imbecilles aut obscuræ, & quia id nullo est intellectu præditum, quo inter putridum & integrum discernat, sed mere naturaliter operetur, metuendum est ventriculo non parum si deuoretur, si verum est, quod tam atrox sit venenum, illiusq; essentia sit ens veneni, iam vero præparatio debeat exhibere essentiam, nemo

mo mihi de facili persuaserit, vt comedam, etiamsi transmutetur: sequitur enim alteratum naturam alterantis, & non quodvis transit in quodlibet sed in determinatum, essetque valde suspectum. Quod si dicas venenosum spiritum illi auferri tum non amplius restabit arsenicum sed cadauer. vires enim inerant essentiæ, maximo veneno. Solet autem cadauer retinere aliquam inclinationẽ, qua ad naturã rursus aspirat vt in terra nitrosa apparet, item aluminiosa vitriolara, ferrata, bisemutica & aliis, imo etiã in Antimonio satis superque patet. Quod vero Theriacam attinet, carnesque viperinas, diuersissimum quid est, quamuis neque sic impune serpentes comedantur vt carpiones, vel Lucii, etsi illis venenum exemptũ sit, nisi accidat vt natura assumẽtis prædita sit occulto aliquo alexipharmaco instar ceruorũ vel consuetũ in naturã abierit attamẽ in talib. reb. alia quadã ratione mul-

multum ineſt virium medicatarum, quæ tamen hinc parum ad cibum ſine noxa commendentur : forent enim potius inutilis Panacea Ambaldica, quam nobile arcanum. Sed conſiderandus eſt operationis progreſſus.

Cenſet autor Arſenici ſublimatione opus fuiſſe, ſed id non eſt neceſſarium, cum iam tale reperiatur, quod fit per ſalem gemmæ, ſumitur auripigmenti & ſalis gemmæ æqualis portio, ſublimatur, inde fit ſublimatũ pallidum aut citrinum, quod etiam Realgar citrinum, artificioſe præparatum dicitur : ſed hoc ipſum nouo ſale admiſto, & repetita ſublimatione tandem fit album, quod etiam cryſtallinum pellucidumq; fieri poteſt, vlteriore ſalis adiectione, eadem ratione qua etiam Mercurius parari ſolet: crediturq; tale arſenicũ cryſtallinum eſſe materia lapidis, ſed id mihi non videtur. Veruntamen artificioſa inuenta, ſua cuiq; integra

tegra permittuntur: Tincturam qui inde extrahere nouit, faciat. Animus aliquando fuerat periculum facere ex Arsenico sublimato, sed fere omne sicco halitu euanuit, cum nitro est enim spiritus siccus, neque præterea libuit experiri, cum ad vlcera etiam alia non desint. Processus Gebri de calcibus metallorum per so sublimatis, mihi magis arridet, vel eligatur pure naturalis. Sed quia artifex noster nihilominus asserit, se perfecisse opus, atq; ex butyro seu coagulato, liquorem parat, asserens Arsenicum esse Realgar seu fumum fodinarum, qui quamprimum paululum calefiat euolet, ignemq; non ferat, attamen per nitrum (licet & hoc igne effumet) in igne aperto (nequaquam clauso) fixus redditus sit: meo iudicio, hoc ipso labore, vel nil vel parum superest de Arsenico, totumque coagulatum nil aliud esse arbitror, quam præcipitatum, aut fixum nitrum, quod cum suos amisit spiritus,

tus, igne subsistit ac fluit, quod sæpius obseruaui, dum Antimonium chymice tractarem, atq; ad hoc consentit, quod tale fixum, in liquorem soluatur instar salis. Præditum preterea est viribus, contra vlcera putrida notis, sed hoc ipsum contra omnem experientiam asserere nolim. Forte extare possit ratio, qua Arsenicum per se hoc modo præparetur, at hanc rationem, qua ℥. 8. nitri ad ℥. 10. Arsenici commiscentur, & teruntur, accenduntur & halitu consumuntur, donec absumptus sit omnis vapor & spiritus, idq; sæpius nitro recenti reiteratur, ego vt modo dixi diiudicatũ volo. In ea quoq; est opinione autor, vstione diuturniore sequẽte fumum non amplius venenosum esse, & merito, non n. amplius est Arsenici sed nitri, nisi forte aliquid adhuc supsit realgar n. totum venenosum est fugaxque, sed intelligo sublimatum, à quo fixa pars sit iam separata. Vnde quam minima etiam esset illius portio

tio venenum tamen esset: sed in tertio labore atque vlteriore ignis actione, nihil veneni amplius percipitur: sequitur ergo arsenicum omne esse consumptum, solũ nitri aliquid fixi reliquum. Quæ si ita sint, pateret ad arcanum etiam facilior & propinquior cum minori periculo & sumptu accessus, si nimirum nitrum quod infusione vel calcinatione Antimonii relinquitur, colligeres, illud que vlterius igne reuerberando, in vase clauso (posses addere tartarum) ad fluorem accommodatum redderes, habuerit & hoc etiam aliquas vires balsamicas, ab Antimonio assumptas, sed quiuis suo abundat sensu, quo fruatur, si carere illo non velit.

Ostendit autem & alium adhuc modum præparandi arsenicũ in quo dispositio furni reuerberationis, tibi obseruanda est, de quo etiam aliquid in meis commentariis reperies, vtili ad varios labores, ad cemẽtationem fu-

fusiones, fixationes, calcinationes, incinerationes & alia, assimilatur fornaculis vitreis, potestq; ad vitrum Chymicum, ad gemmas, colores, smalta, & alia adhiberi. Arsenicum quod in talibus fornaculis paratum fuerit, magis fixum esse credendum est quam prius adiuuat enim hoc talcum & calx, acquirit etiam naturam salis ex calce & illis quæ coniuncta sunt. Sulphurea pinguedo igne consumitur, & spiritus cum fumo exhalato. Quare animaduertendū an plus quam tabella mineralis salis supersit, quæ ipsa instar salis liquescat. Species est salis fusi, in superficiem ex calore sublimati.

Talcum, vox esse Arabica creditur, significans, stellulas micantes fossores metallorum chymici ita cognominant lapidem coagmentatū ex foliolis seu squamis, qui igne perpetuo subsistat immutabilis. Horum lapidum aliqui sunt albi densi, fragiles, vt lapis selinitis vel lapis specula

cularis dictus, aliqui virescunt, qui si non nimium densi fuerint, flexiles sunt, vt etiam velut foliola complicari & conuolui queant reperitur in fodinis Misniæ. Quidam Iesuita asserit in nouo orbe reperiri lapidem flexilem, is huius naturæ fuerit. Alias extat & alia species, quasi ex squamis composita, splendens vt stellulæ harum squamæ aquis sępenumero dissoluuntur, & finduntur, quod argentum cattarium vel talcum dicitur, licet color discrepet, aliud argentei aliud aurei coloris, vel etiam purpurei, aut atri est. Latini micam vel magnetin appellant. Ex talco albo & cupro, fit orichalcum album vel electri species.

Quia vero talcũ in igne subsistit, solet vt plurimum sublimationibus adiici, quo terrenum retineat, & essentiam volatilem extrahere sinat, vel etiam contraria intentione, vt essentias fluxas velut Mercurium sublimatum, retineat & figat: calci-

natur arte, & aqua inde paratur fixatoria. Tabella Arſenici ſeu Arſenicum contra peſtem, à Paracelſitis Xenechdon vocatur, quamuis compoſitio iſta non ſolum habeat Arſenicum, ſed etiam rubedas dictamnũ & alia. A multis commendatur, maximeq; Pontifex Adrianus efficacẽ reperiſſe dicitur, ſcribitur etiam aliquibus venenum tam potenter elicitũ eſſe, vt veſiculæ extiterint, quod tamen aliis placet acrimonia & eroſione Arſenici factum eſſe, exulcerare namq; dicitur ſi nudam cutem cõtingat, quemadmodum etiam inter cauſtica refertur, de quibus plura diſces in commentario chymico, vbi & de p̃ſeruationis ratione diſputatur.

Balſamus ad cancrum non ex factitio Arſenico, ſed ex naturali auripigmento cum fuligine & ſale ammoniaco, acrior eſt quam butyrum Arſenici, idemque habet iudicium, nempe quod eſſenria Arſenici fugax ſit, & igne diſſoluatur, ſale ſubſiſten-

te,

te,quem si ad cancrum sis adhibiturus, excitabis intolerabiles dolores, donec mortificetur, demum curatur per balsamum sulphuris vel instar vlcerum communium, dolores vero sæpe excitant periculum & inflammationes, vnde & defensiua diligenter sunt adhibenda: qui non ferendo est, ne tentet quidem alias exitiali periculo non carebit. Vnde apud medicos sententia illa firma habita fuit, cancrum omnem incurabilem, quia acribus irritatur, lenibus non tollitur sed inde magis efferatur. Sed id etiam metui ac pusillanimitati ægrorũ est adscribendũ & impatiẽtiæ, ne de ignorãtia aliorũ dicã. Videndũ tamen an corpora tibi robusta vel tenera offerantur loca etiam, an neruosa aut carnosa sint, desperata an sanabilia vlcera, ne medicamentũ alias nobile, imperito vsu diffames.

CAPVT. XXXVII.

De Mercurio sublimato.

PRæparãdi quidẽ modũ autor tradit, sed finis cosmeticus Alẽbico di-

dignus non eſt, vt taceam moleſtias ſumptus atq; pericula: & ꝓpterea ipſe ẽt coſmetica alia paratu faciliora & tutiora aſſignat. Verum ille aliquid reſpexit amplius, quod è ſublimato paratur, quamuis & ipſe ſolus multi vſus ſit, ad multa metallica & medica vtilis. Qui metalla tractant hinc neſcio quid tincturæ petunt, tamdiu figentes vt fabella tandem vulgi euaſerit. Et quia nihilominus perſuaſum eſt, in hoc ipſo latere arcanum, quod in omnibus morbis vniuerſalem medicinam præbeat ideo aquas mercuriales, ſales & olea inde deprompſerunt, maxime ad externa: Paracelſiſtę etiam intra os exhibuerunt ad renouationem, contra podagram, icterum, colicam, hydropes, contractiones, &c. vt videre eſt in lapide philoſophico & Mercurio vitæ Paracelſi, qui tamen prunæ Morauorum hydropico cuidam mercurius mortis euaſit breuiſſimo tempore. Quidam per retortam agunt


gunt in oleum, quod coagulant, &c. Alii alia inde parant, de quibus in Alchymia, oleum ad externa contemnendũ non eſt. Vſurpatur & ſublimatum cum aquis & decoctis ad ſcabiem abominandam & articulorum dolores. Qui vnguentis admiſcent, id etſi illitum membris externis, mox tamen percipiunt ſaporem vitriolatum in lingua, denteſq; illis nigreſcunt, vix dici poteſt rapida illius & ſubtiliſſima virtus. Quod ſi ſæpius cum ſale gemmæ ſublimetur cryſtallinus fit mercurius, nouies hoc repetendum, deinde ſublimandus per ſe, vt ſolus ſine fece aſcendat, atq; ita recte purgatur, ſulphureaq; pinguedo, ſordes terrenæ, & humiditas ſuperflua detrahitur, vt poſt hac ad coagulationẽ & fixationẽ vtilis euadat. De hoc dictum eſſe creditur: Eſt in mercurio q̃ quęrunt ſapientes. Interdũ & argentũ philoſophorũ dici putatur: vt vſifur aurum: vere an falſo, tibi non facile ex-

ponam, ipse cogitabis, hoc tibi asseuero, principia metallorum in illo conclusa delitescere, & in hoc ipso, ad primam materiam fundamenta iacias. Quomodo autem à philosophis præparetur, vt inde Azoth emergat apud illos indagare fas est, au tor ne faciei nitorem saltem spectasse credatur, illum transmutat in liquorem, quem appellat oleum, vtitur ad vlcera externa, vt in textu habetur. Hunc liquorem vlterius destillare poteris per retortam, vt oleum fiat rursusq; in salem coagulabilem abeat, in quo sale maxima arcana recondita esse, fama est. Quidam elaborando eo vsque procedunt, vt amplius coagulari non possit. Inter destillandũ peculiaris quædã adhæret essentia, instar tenerioris salis aut aluminis plumosi, idque effici etiam potest, si cum aqua regia maceretur, indeq; rursum separetur. Qui ex illo lac virginis parant, eo vsq; deducũt, vt etiam argentum viuum coagulet.

& au-

& aurum dissoluat. Equidem sat nota est illius vis penetrãtissima, in quo is est ignis qui in tota rerum naturalium vniuersitate nõ reperitur, quẽadmodũ & argentũ viuũ ipsum simile in natura rerum nil habet, si simulachrũ videre cupis rude & tenue mirę efficaciæ sublimati illius puluerem subito cum Mercurio viuo permisce, aurum etiam ipsum efficit subtile & solidius. Sed de his satis superque, quantum autor hic postulat.

Finis lib.1. Praxeos.



PRAXEOS ALCHYMIÆ LIBER SECVNDVS.

IN NOMINE SACRO-Sanctæ Trinitatis.

Ars Hermetica.

Prooemium.

PHILOSOPHICO more ars iſta characteribus, ænigmatis, ſignis cæleſtibus, imaginibus & figuris obſcuris, vel alia ratione imperceptibilibus, per parabolas tradi poſſet: ſed cui deſtinatur, illi etiam clare ſimpliciterque exponitur, vt poſthac patebit. Is igitur qui à DEO hac ipſa donatur, toto pectore gratias agat, ab eodem precetur ſapientiam & intelligentiam, Deumque timeat, ſi adeptus fuerit, proximo inſeruiat & egentibus, maxime vero humilitatem ſincere colat, ſigillum ori apprimat.

Addi-

Additio D. And. Libauii.

HIc libellus de arte Hermetica, h. e. de lapide philoſophorum, per quem imperfecta metalla ad perfectionem reducuntur, vt illã Hermes Triſmegiſtus Ægyptius appellaſſe, inueniſſe & declaraſſe dicitur, ab amico, non ſine labore, pactisq; ad me peruenit. Et quia tam perſpicue artem tradit docetque, ex quo percipi poteſt, quo pacto celebratiſſima illa vniuerſalis medicina paranda ſit, ideo ſuperiori annectere volui, non ea animi intentione, vt plures ditarem homines, vel vt in illis extinctam cupiditatem transmutationis metallorum renouarem, aureosq; montes promitterem, ſed ſolius contemplationis & meditationis vlterioris gratia, ſi forte vel aliquis ſeſe tandem offerret, à Deo illuminatus, qui depulſis morbis hominũ ſaluti ſuccurreret. Omnes natura ſcire deſideramus, inquit

philosophus in metaphysicis. Et licet forte nemini optandum foret, quo beneficio huius artis, tot annos vitam produceret quot Nestor, aut ditesceret vt Crœsus, optabilis tamẽ & pulchra esset scentia, Dei ipsius honori inseruiens, qui tam ingentia miracula naturę ingenerauit, posterisq; hominum, licet turpiter ab illo deficientibus, mera tamen bonitate tam præclaram artem concessit, qua sui ipsius laudem & gloriam exornare, ꝓximi vero saluti prospicere liceret. Atq; hac ipsa indagatione tandẽ eo vsq; perueniri posset, ne tã generaliter cœcoq; modo, de hoc ipso opere nugę vẽderentur, vt multis vsitatũ ꝗ quod stulta suppeditat phantasia effutiunt, sed vt longe ꝓpinquiori origine naturæ singularis potentiæ & effecta considerentur & diiudicentur, an nimirum tot veteres & recentiores philosophi totum mundum deceperint nec ne, & an naturæ etiã conueniat quod docuerint,

rint vel alia cabalistica interpretatione indigeat. Hoc si obtinere possem, crederem neq; tempus neq; labores frustra susceptos, etsi neq; ego neq; tu, famosum illum lapidem possideremus, & multas aureorum myriades conficeremus.

Autor libelli ignotus est, Belga fuisse creditur. In præfatione autem docet duplicem esse rationem tradendarum artium, alteram figuratam & mysticam, alteram vero dilucidam & claram, verbisque perspicuam. Secundum primam rationem infinita fere extant volumina imo sibi persuadent artifices, qui expresse hanc artem doceat & eandem exponat, morte subitanea periturũ eo quod indignus sit mũdus mysterio tãto. Sed his liceat frui suo sensu. Nihilominus Deus, mysterium æternis seculis tacitũ, neq; lapides neq; aurum respiciendo, sed infinitã gloriam perpetuamq; beatitudinẽ mundo licet misere perdito, tamen

ma-

manifestauit, eumq; tantum dilexit, vt etiam filium vnigenitum pro illo morte destinaret. Non igitur in momentaneis istis tam invidus credendus est, qui neque Europæis regnis præclarissimum lapidem suæ sapiétiæ, fodinas nimirum auri, argenti, gemmarum & aliarum diuitiarum in nouo orbe repertarum inuidit, sed incredibiles thesauros inde suppeditauit, quos non facile Chymista aliquis suo lapide acquirere poterit. Verumtamen inficias non eundum, quod & Hogelandeus monet, tales artes plerunq; suis inuentoribus exitium creare posse, non quidē ex sese sed ex accidente, hominum malitia, quæ eo vsq; inualuit, vt nullus esset, qui non artem à magistro vel aurum peteret. Multa de his meditatus sum, atque scripsi, Deo sunt agendæ gratiæ, quod nemo fidē adhibuerit, alias graue nimis fuisset, speculationes meas pro cuiusq; cupiditate in actum deducere, quas pro-

propterea non publicaui, sed solum de potẽtia naturæ disputaui, an scilicet aliquis ad veritatem peruenire posset. atq; hoc ipso palam protestatum volo, ne me aurificem credas: meam saltem tibi exponam sententiam, ex naturæ potentia, & medicæ illius scientiæ desiderio profectam: tibi alias liberum est vlterius tendere, tuasq; cogitationes ad rem ipsam applicare vel secus. Sed hoc pro viribus, iuxta alteram normam, vt autor ꝓmittit exequi conabor. Quod si ne sic quidem tibi satisfactũ fuerit cogita artem hanc tibi datam non esse, ideo dimitte, sciasq; etiamsi per infundibulum tibi ingeratur, quod capax tamẽ minime futurus sis. Subtilis est philosophia, quã nequaquã ingenium rude assequi poteſt: instructa quin est phrasi sua & technologicis terminis, quos vt intelligas, disciplinæ te submittere necesse est, vt fias filius Doctrinæ. Sed qui expeditus non est physicus, consultius

Ars Hermetica non est ad cuiusuis captum accommodata vt multi sibi persuadent.

tius huic eſt foris eſſe, neq; Platonis auditorium ingredi.

Reſtat præterea adhuc clauis aliqua, principium maxime præcipuum adipiſcendi hanc artem, quã hic autor Dei ſingularem gratiam & fauorem appellat, hanc impetrare licet pietate & orationibus. Principium ſapientiæ timor Domini, & cui deeſt ſapientia, petat eam à patre luminum. Præterea firmum ſit propoſitum, artis ſcientia velle vti ad honorem nominis diuini, & ad commoda ægrorum & egentium. Atq; hæ ad monitiones ſunt p̃claræ, vnde apparet, autorẽ hunc nihil temere aut inconſiderate editũ fuiſſe. Quod autẽ de ſigillo refert, ori apprimendo, id mundi malitiam denotat, etenim ſi multa de hac iactanter proferres & ſpargeres, tibi ipſi periculum facile excitares: alias de ſapientia loqui inter ſapientes, quid prohibet?

CA.

CAPVT I.

Præparatoria ad artem.

SEptem ſunt metalla cardinalia, ex quibus vnũ ſpirituale eſt, iuxta planetas, ob vires illorum denominata. ♄.♃.♂.☉.♀.☿.☽. Ex his perfecta ſunt quæ ſulphur habent fixum ☉. & ☽. Quædam ſunt maſcula ♄.♃.♂.☉. quædam fæminea ☽.♀. Spiritus eſt Mercurius omnium illorum natura & ortus. Hic itaq; liber tradet quo pacto metalla imperfecta, etiam perfecta, ſpiritumq; fixum, hoc eſt, ex quinque illis optimum, probum verumq; ☉. & ☾. Dei benignitate conficere debeas.

Additio D. Libauii.

DE Metalli vocabulo & definitione, in ſingularibus meis ſcripſi, vt & in ſupplemento Alchymiæ, vbi plura quęres. Autor iſte ſcribit illi, q̃ quid metalla ſint in ſpecie, intelligit quibus nihilominus annumerat vnum, q̃ per ſe actu metallum non

est, sed fieri potest, cum prima illorum sit materia. Intellige metallum proprie dici, substantiam mineralem, in terra ex Mercurio ortam, inque formam quæ igne tractari & malleo cudi possit, reductam. Metallis aliqui accensent Bismuthum & Antimonium &c. cum etiam habeant principium mercuriale: Sed quia hoc nothum potius est metallum & abortiuum, alii id inter Marchasitas reponunt, perinde vt Zinckum, Gelfum & alia &c. Ad compositionem quod spectat, illa simplicia respicit ex quibus oritur, neq; huius loci est. Diuiduntur autem 7. ista metalla, in 6. corpora, & vnum spiritũ: in pfecta corpora & impfecta mascula & fœminea: Spiritus est Hermaphroditicus & cum possit esse transmutationis subiectum, magis ad imperfecta spectat. Quando considero naturam Hydrargyri, censeo metallis illũ posse annumerari, sed potentia aliquando remotiore,

tiore, quod valde sit degener & sine coagulatione, cui defuit vis sulphuris figentis: duo quidem habet sulphura, internum & externum, sed neutrum maturum est, & ad formã actiuũ, prętereã nimis fluxa præditus est humiditate: si coagulandus est & figendus, arte & natura illi humiditas ista auferenda. Vnde aio viuum hoc argentum, vt in natura sua est atq; reperitur, non esse primam materiam metallorum, sed illius saltem effigiem & quasi abortum, de quo amplius cogitare licet. Metalla vero perfecta definiuntur, quod sulphur habeant fixum & permanens: Imperfecta vero quę fluxũ, volatile & combustibile possident, sed ne sulphur commune tibi imagineris, quamuis & illud abortus quidam & simulacrum metallifici dici queat. Sulphur aiunt philosophi, alterum esse principium metallorum, plus formale quam materiale, quod in se habeat vires occultas,

Nota discrimen inter hydrargyrũ vulgi & mercurium ille remotiore potentia est metallum hic ppinquiore: ille crudissimus: hic coctus quodam modo, ille sulphure fixatiuo destitutus, hic eius principio præditus.

Kk ca-

caloremque quibus metalla in debita materia gignantur: Vnde patris nomen quoq; habet Verum operatur pro sua dispositione & conditione materiæ: quod si fuerit purum fixumq; similemq; consequatur materiam, inde euadit præstantissimum: quod si aliter disponatur, vt & materia, pariter, impariter, pro varietate rerum, varium fit metallum: fieriq; potest vt in materia aut corpore materiæ, variæ dispositiones sint, vnde metalla in vno subiecto, sæpe minutis portionibus coincidunt. Interdũ alterutrum, vel etiam vtrumque tam alienum est, vt degeneret, nothaque metalla, & colores lapidesque constituant. Creditur illa interdum in succos resolui lapideæ naturæ, vnde gemmæ oriũtur, pro minerarum diuersitate & specie: multæ etiam gemmæ in fodinis iuxta metalla reperiuntur, quemadmodum & nothæ gemmæ, fluores dicti, quæ nil aliud sunt quã gem-

gemmarum abortus, vel simulacra,
quæ ob loci inconuenientiam, ſucci
cruditatem, defectum virium gi-
gnentium & informantium ad per-
fectionem deduci non potuerunt.
Sic Alchymiſtæ philoſophantur de
metallis ſuis, non nudis opinionib⁹
inducti, ſed naturæ fundamẽtis, quæ
in ipſa analyſi & transmutatione, v-
na cũ aliis paſſionib⁹ manifeſtantur.
Iam cũ nihilominus metalla impfe-
cta, formã metallicã poſſideant cũ
materia, orta tamẽ ꝓpter erratũ aut
indiſpoſitionẽ aut auerſionẽ motus
&c. animaduertaturq; habere ad ſe
inuicẽ aliq̃ inclinationẽ, familiari-
tatemq; : ferant elaborationes, vnũ
in aliud trãsmutetur & q̃ hui⁹ argu-
mẽti plura eſſe poſſunt: Ideo tandẽ
ad artem ventum eſt, qua ex imper-
fectis fierent perfecta. Hoc ipſum,
diuina gratia interueniente, pro-
mittit autor hocce libello. No-
tabis putari myſterium, ſi ſeptem
illa metalla non ſuis propriis

Mysterium in characteribus metallorum. nominibus proferantur aut scribantur, sed solum characteribus designentur, & planetarum nominibus enuncientur. ☉☽☿&c. Autor vult à planetis denominari, ꝓpter vires: hoc aliqui falso detorquent in eum sensum, quasi à planetis metalla perficerentur, indeq; vim suam suscipe-rent, verum autor analogiam tantum respicit. Aurum enim virtute sua sese habet ad reliqua metalla, quemadmodum Sol ad planetas reliquos, argentum vt Luna, argentum viuum vt Mercurius: hæc virtus in transmutatione respicitur. Quod ad medicinam attinet, aliter sese res habet. Mercurium appellat omnium reliquorum metallorum naturam & ortum, volens simul materiam insinuare, nihilominus tamen cum illo sulphur occultatum subintelliges, quæ qualiter affecta fuerint, incidentibus simul externis, tale euadit metallum, idq; ars ipsa quoq; deprehēdit. Nam Geber

ber ait aliquos artifices voluiſſe aurum conficere, qui tamen errarint, cum alius plumbum, alius ſtannum, tertius ferrum, quartus cuprum effecerit: ratio erat iſta, q; ſua principia non recte ad aurum præpararint. Verum ſub Mercurii nomine, neceſſe eſt intelligas naturam planeticam, cœleſtem non terrenam, quæ ſcilicet naturæ & artis beneficio, quaſi in aſtralem Mercurium tranſierit, alias te principia huius artis à vero ſcopo ſeducerent, ſi tibi perſuaderes ſermonem hic eſſe de vulgi Mercurio. Si huius Mercurii exemplum noſſe deſideras, aliquid ex cōmuni percipere potes, at propinquius id tibi eſt in Mercurio ex metallis extracto, vel adhuc propinquius in fodinis ipſis, in quibus metalla liquida adhuc fodiuntur, ſub forma viſcoſæ humiditatis, quæ adhærere ſolet & inſidere lapidibus, lignis &c. vnde & metallicæ bracteę, alluuiones, rores & q. pruinoſæ accre-

Mercurius vulgi non eſſe principiũ naturæ aut artis metallicum.

cretiones quod ipſum commune argentum viuum non facile præſtare cernitur, cum non ſit aqua viſcoſa &c. Si vero noris rectam hydrargyri præparationem, forma etiam vera te non fugiet.

CAPVT II.

Cautela.

Ignis natura implãtatus. IAm vero conſiderandum hoc loco eſt, ignẽ atq; calorẽ, quæ metalla ipſa intra terram percoquunt atque maturant nõ eſſe ſolis, vel ignis mundani calorem, ſed ignem illum occultum, à Deo ingeneratum, ignem ſpiritualem, inuiſibilem, incomprehenſibilem, ignem ſapientiæ.

Additio D. Libauii.

QVicqd vi ingenita naturæ (quæ intrinſecum eſt principium, à Deo in quamlibet ſpeciem implantatum & ingeneratum, non ex cõſortio & miſtura elementorum exortũ, etiamſi in illis eſſentiæ lateãt) procreatur, & ab interno prouenit prin-

principio instar plantæ ex suo semine, in sua matrice terra, id ab externo aliquo calore vegetari & in motum deduci necesse habet: nihil enim potentia existens, seipsum pro ducit in actum sed ab aliquo actu, ad motum impellitur: Itemq; necesse est externum illud adminiculũ assistat, donec motus ad finem perueniat. Verum vnde suam adipiscitur speciem naturamq;, id internũ est, virtusq; dicitur seminalis, vis plastica, natura caloris cum spiritu in corpore genituræ cõtenta, proportionẽ habens cũ cœlestib⁹ viribus stellarũ, & de hac loqtur hic autor, hoc que agens bene considerandum esse cupit. Nemo mortalium naturam creare potest, sed eandem procreatam ex natura desumet. Veruntamen per aptã, gubernationem motum illius promouere potest.

Vbi igitur externa adminicula artificialiter adhibiturus es, motiones internas respicere oportet,

& proinde motum tuum gubernare perinde ac si in fornace oua exclusurus esses. Iam si præcipuum possides, facilius erit exterius artis potentiæ subiectum admouere. Non enim cœco more labores tuos subire debes, quasi labi non posses: sed omnes naturæ motionis articuli diligenter perpendendi Et propterea philosophi proponunt exemplum pueri in vtero matris latitãtis, quod te accurata cogitatione lustrare præcipiunt. Solaris calor, elementarisq; ignis, nullũ constituunt metallũ, nullumq; perficiũt. Ideo autor te huc non deducit: Sunt tamen adminicula externa, spiritualis imperceptibilis impalpabilis ignis, omne id est, q; sensibus non capitur, sed rationem pondere & mente colligendum est, vnde ignis rationis aut sapientis artis nominatur, cum etiam sapienter regi postulet, ignis sapientiæ, & intellectus dicitur.

CA-

CAPVT III.

Quales in opere ſint lapides.

COnſtituitur lapis ex corpore anima & ſpiritu, hæc autem tria vnum ſunt, ex vna natura vel materia, & hæc tria ab artificibus, tres cognominantur lapides. Primus lapis aurum eſt purum, qui mas eſt & anima fixa, ex Mercurio. Alter lapis purum argentum eſt, fixus & percoctus mercurius, qui corpus ſibi aſſumpſit conſtans, eſtq; fœmina. Tertius lapis horum amborum eſt ſpiritus, à quo illi generati ſunt, Mercurius, hoc eſt ſubiectum & materia lapidis. Quid Theophraſtus in tinctura ſua velit, dum loquitur de ſanguine Leonis & aquæ glutinæ, id ſine iactantia dictũ, me quoq; non fugit.

Nota, Duo ſunt ex tertio, & tamen tria ſimul & vnum intellige adminiculo quodam ex vno in quo ſunt tria potentia, produci duo, quorum vnum eſt de natura ſulphurea, alterum de natura mercuriali, & tamen tertium quod eſt totũ ſeu totus mercurius ſapientum ex duobus compoſitus, 4. Elem. poteſtates habens intelligitur.

. Additio D. Libauii.

DE triplici lapide vegetabili, animali minerali, paſſim apud multos reperire eſt, oſtẽdit autor nõ eſſe plures ſpecies (ars in multitudine nõ conſiſtit) ſed vnam rem in qua vires

Per aurũ noli intelligere aurum mundanum uti neq; per argẽtum, rectius loquuntur qui solem ac lunam dicunt. Seminare aurum in fermentatione quidem aurum natiuũ accedit sed in principio neutiquam hoc sed aliud. Ita que cogita quod sit seminare aurum in principio, nempe per artem ex naturæ potentia sulphureum aurificumq; principium producere.

triplices, habitudines seu potentiæ latent, tria ista distinctis cognominãtur nominib. vt corpus, anima, spiritus, mas, fœmina, materia, aurũ, argentum, mercurius. Aurum masculũ est formale, actiuum, igneum, solare calidum siccumq; natura comparatur etiam sulphuri. In hoc vnico, nihil aliud est, quam internus spiritualis ignis, quam naturam nisi acquiras nihil efficies, si non seminas aurum, non metes. Argentum fœmineum, frigidum & humidum, iuxta virtutes & potentiam passiuam In his duobus reperies abscondita elementa 4. quę ipsa in progressu operis prodire oportet, suisque signis comparere, incipiendo à frigiditate & humiditate, desinendo in calore & siccitate, vt & mundus ipse cõstructus. Antequam vero perfectio vltima appareat, hæc in circulo reuoluuntur iterumque ex calido & sicco euadit frigidum & humidum, &c. manetque nihilominus res eadem, mutatis saltem in ea dispo-

dispositionibus. Mercurius dicitur subiectũ in quo alterationes se inuicé consequuntur, & in quo subsistũt. Aurum animæ comparatur & virtuti formatiuæ: Argentum corpori in quo anima est, tanquam in propria materia, secundum substantiam integrantem. Mercurius spiritus nominatur, ex quo duo reliqua subsistunt, hoc est, operis principium, nihil aliud est quam aqua spiritualis, in qua iuxta proportionem sunt recondita corpus & anima, quæ & ipsa in progressu motus educuntur, ideoq; inter operationem animaduertes, Mercurium philosophorum cum frigidus & humidus fuerit, quod mortificatus sit, & ab eo discesserit anima: hæc ei rursum infunditur, cum calor solaris & siccitas redit: prius erat corpus inanime, iam vero est animatum.

Hoc ipso mysterio etiam quæritur sulphur, sal & Mercurius, sulphur cum fuerit essentiæ solaris, auro animæq;

mæq; associatur. Mercurius spiritus est, sal in humido frigidoque delitescat oportet, attamen quidam salem & sulphur pro principio formatiuo habent, ita vt tria sub duobus nominibus comprehendantur, sulphur & Mercurius, totum Mercurius est, philosophorum vocatus. Quid Paracelsus intelligat per leonis sanguinem, & gluten aquilæ albæ exaltatæ, autor non explicat. Animaduertendum tamen est, quod sulphur, sol, leo anima, ignis internus vegetabilis, mas, virtus & semen masculum, &c. vnum sint idemq;, rursum Mercurius, aquila exaltata alba, fœmina, aqua frigida, humida, &c. quoq; vnum sunt. Ita vt Paracelsi mens fuerit, Mercurii glutinosam essentiam cōponendam cum sanguine Solis aut sulphuris. Quod si interpretaturus es secundum dispositiones vnius rei, idem erit ac si dicas ex frigido humido fac calidum siccum, ex mercuriali volatili, leoninum fixum, quod ma

gica

gica dicitur compoſitio, vt & Hermeti placet, volatile reddendum fixum, iterumq; vt per circulũ ex duobus vnum reddatur, ex vno duo, rurſumq; vnum, in quo ſubſiſtat, & hoc eſt quadrare circulum, producere ex vno quatuor, illaq; quatuor reducere iterum in vnum.

CAPVT IV.

VLterius conſiderandum quemadmodum in natura hominis, ſine ſexus maſculi & fœminei commixtione nihil augetur, ita mas & fœmina, Sol & Luna, copulanda ſunt, & in natura ſua in Mercurio vnienda, quo & commiſceantur & ſemen producant.

Additio D. Libauii.

MAris & fœminæ exemplum, denotat lapides initio debere eſſe ſubſtantias diſtinctas, quemlibet in ſua natura, deinde vt quælibet ſuum ſemen in aliquo tertio tanquam ma-

Hæc dicuntur reſpectu præparationis materiæ lapidis.

matrice conferat: non permiſcentur integra, ſed abſtracta ſemina maſculini & fœminei ſexus, quæ non ars excogitauit, ſed natura produxit, & licet integra commiſcerentur; & in aliquo coirent, rurſus tamen ſeparanda forent, & in natura ſemen deponendum, quod deinde ex ſe ipſo pullulat. Nullum corpus manere in genitura oportet : Ideoque ſigna tibi ſufficientia ſunt Mercurii philoſophorum : Aſpectus eſt naturæ mercurialis, ita affectæ, vt in illa naturali appetitu & familiaritate conſpirent duæ ſeminariæ virtutes, agens & patiens, ambæ ad generandum tertium procliues, ſub aſpectum vnicum, ſolum cadit, nihilominus tamen in illo ſunt duo, tria, 4. concluſa, quemadmodum in ſigno ☿. agnoſcis. Quatuor ſunt elementa, aut qualitates, tria ſunt. ☉. ☾. ☿. anima corpus, ſpiritus: duo ſunt mas & fœmina vtuntur alii philoſophi analogia grani tritici, quod propinquius eſt quodammo-

modo, in hoc vires masculæ & fœmineæ comprehenduntur & vniuntur, ex quo nouum quid producitur in terra, agente calore, ita vt vetus corrumpatur, sitq; corruptio vnius generatio alterius atque hinc vlterius colligendum tibi est & videndum, num intellectus philosophicus magis quadret ad coniuges diremptos, quam copulatos in vno.

CAPVT V.

Præparatio Solis.

ACcipe ☉ puriss. septies per Antimonium fusum, ab omni aliena sorde defecatum, quod apud bractearios in tenuissimas laminas diduci cures: hocque semen est virile, habens aërem & ignem in se anima est fixa, sulphur mercurii incombustibilis.

Additio D. Libauii.

AVtor proponit aurum naturale, quod per Antimoniũ fundi & depurari potest, nihilominus appellat se-

ſemen virile, quod prius vir ipſe erat: mox nominat ſulphur incombuſtibile mercurii, animamq; fixam, deberet autem eſſe vnum ſolum quiddam, ex vnica natura cum duobus reliquis. Verum quidem eſt aurum, mercurium coagulatum maſculum dici: argentum viuum vero Mercurium crudum: Argentum, mercuriũ coagulatum fœmineum, atq; ſic tria iſta ratione materiæ, pro vno haberi, attamen ſic omnia metalla copulanda eſſent, quod nequaquam Mercurius philoſophorum dici poſſet, corpora enim cum ſpiritu intrinſecus non vniuntur, ſed ſolum extrinſecus & propterea ſeparabilia adhuc ſunt quod in Mercurio ſapiẽtum nequaquam fieri debet, niſi ſolum magice aut allegorice (potes & parabolice, reſpectiue, virtualiter, &c. appellare) ſed nolim te cogi in meam ſententiam, cum nec deceat quoque. Mea eſt hæc cogitatio, autem voluiſſe tibi oſtendere, quod ex auri operatione

ob-

obſeruare poſſis, quomodo ſemen maſculinum, in mercurio ſubſiſtens affectum eſſe debeat, nempe quod vi rium conſtãtia & puritate, vt & ignea aëreaq; natura, & aliis virtutibus, cũ optimo auro commode cõferri queat cuius perfectio potiſſimum in probatione antimonii & extenſione notatur, quas duas notas ſi habet, in reliquis non deficit, quamuis Alexander Suchtenius his contentus eſſe noluerit. Sed quia & auro corporali tibi opus fuerit, ſimul etiam illius purificatio ob oculos poſita fuit. Et hoc pacto quidam tale aurum in Mercurium redigũt, vt Lullius tradit, quem cum Mercurio crudo vniunt. Hoc ad fermentum opus eſt. Sciendum autem artifices hac in parte non vna inſiſtere via, ſi ex mero Mercurio, qui tamen auri proprietates in ſe habeat efficere poſſis, inquit Geber, perueniſti ad ſummum myſterium: ſin minus, animuſque ſit opus abbreuiandi vtere ſemine ex auro ab initio ſtatim

Artifices in vno opere eandemq; materia diuerſas habent vias.

extracto. Sed stude vt præparationẽ mercurii recte apprehendas, de qua multa scribere non placet, ipse periculum facias necesse est.

CAPVT VI.

Præparatio Lunæ.

ARgẽtum purum putum septies quoque depuratum & elaboratum, in bracteolas deductum tenuis, semen est muliebre & mercurius totus cõcoctus, nisi quod adhuc anima sit præditus immatura & fluxa.

Additio D. Libauii.

LVna seu argẽtum prius erat corpus fœmineum, iam semen est, quæ concilia vt de auro dictum est. Præparatio vulgaris illius fit in copella per plumbũ, deinde in catino cũ aliqua portione fellis vitri ad purũ putũ follibus perficiẽdo. Sed hoc ipsum septies reuocare nimium videri posset, nimis enim reddetur inde

de squalidum & durum purificabis quam optime poteris, collatum ad aurum, etiam imperfectum est, deest enim sulphur fixum, neq; etiam mercurius adeo purus est, vnde & euenit vt argentum quantumuis purum, lineam faciat nigram in membrana, in igne quoq; decrescit, pondere imminuto voracibus mineralibus, quod notissimum est fusorib. metallorum & excoctoribus, auri fabris & probatoribus, interim auro tam est propinquum præsertim quod optimum est (est autem vt in auro, ita in argento, alterum prestantius altero) vt aurum album dici mereatur, quod etiam in aurum beneficio tincturæ auri vertatur, artificio satis explorato. In genere deest illi color, fixatio, pondus, dilatationis amplitudo, quod si tingeretur & fixum redderetur, neq; in aliis quicquam deesset.

CAPVT VII.

Præparatio Mercurii.

ARgentum viuum seu Mercurius, ab omni aliena & noxia materia expurgatur, natura est nobilis & præstans omnia metallorum, ex qua fiunt, clauis est omnium metallorum, depuratur duob. modis: Primus qui ad medicinam facit, per alembicum septies destillandus & purificandus est, atq; per modum roborandus & vigorandus. Alter, cuius magna requiritur quãtitas sale & aceto solo diligentissime eluitur. Itaq; accipe ℔. *3.* (modo haberi possit) naturalis, vulgo virginalis, vngarici vel alias purissimi Mercurii, septies sublimetur in recipiens vas quicquid impuritatis superrerit, id remoueatur, rectificetur per duas partes calcis viuæ & vnam tartari crudi, vnde acquiret colorem cæruleum & acrimoniam vehementem,

Ad-

Additio D. Libauii.

EA est sententia autoris de Mercurio, vt supra indicatum, Mercurium communem spurium esse & non veram illam materiam metallorum, propterea tradit mercurium illum, qui purus sit ab omni sorde & qualitatibus maleficis, esse naturam illam, ex qua metalla generentur, sed tamẽ differenter, pro vt in gradu suo dispositus fuerit. Et sic duo sunt Mercurii, vnius tamen naturæ. Depuratus dicitur excoctus & maturus, qui propiorem potentiam ad coagulationem & corpus habet, in internis existens calidus & siccus. Alter vero est mercurius crudus. An hic sit Mercurius duplus Bernhardi an secus, inquirere potes, via sternitur ab autore. Geber scribit de argento viuo posse quidem figi, non esse autem medicinam philosophorũ in sua natura, posse tamẽ iuuare quãdoq; similiter in casu. Quod si debet præparari, necesse est illi aliquid deesse, aut alienum adhę-

rere. Id autor noster dicit esse materiã peregrinã maleficã. Geberus ait terrenã illius grossitiem ad summum depurandam esse, aquositatemq; illi adimendã, propterea ipsum destillat à talco, à calce ouorũ, marmore albo puluere vitri & salib. p̃paratis variis. Calx ipsi præ reliquis placet, si toties sublimetur vt bonum fluxum faciat, coloremq; candidissimum & lucidissimum acquirat, sufficienter præparatus creditur. Alio quodã loco Geberus eadẽ habet quæ autor noster, adimendam illi esse omnẽ supe rfluitatẽ continet n. in se fundamentum corruptionis nempe terrenam & cõbustilem sed citra flammam & aqueam substantiam. Terra nigra & impuritas facile ab illo secedit, lotione nimirum: sed quia in illo duplicem perfectionem agnoscimus, scilicet vt ex eo medicinam paremus & perficiamus, etiam duplici gradu est præparandus. Ideoq; etiam necessarium est vt duplici modo depuretur. Vnus fit

per

per ſublimationẽ ad medicinã, quæ hic intelligitur, alter ꝑ ablutionẽ ad coagulationem, quod faciendum eſt per acetum, in olla ad ignem, aſſidua agitatione, donec conteratur totus, atq; acetum conſumatur, tum ſordes abluuntur. Sublimationem leges apud ipsũ in libro de Inuentione veritatis, vbi alumen, vitriolum, nitrum & ſal commune admiſcet. An vero hanc ſublimationem velit, vel illam à calce facile exponi non poteſt.

Eſt & ſublimatio occulta de qua Arnoldus, quæ fit non per diſtantiam ſed per virtutem, id ſulphur expediat oportet: An igitur hæc nudis illis verbis adumbrata ſit vel minus, cogitandum, alias tam nude philoſophi nil aſſerunt.

Si autoris noſtri verba pondus habent, nõ eget ſublimatione, ſed per alembicũ in receptaculũ trãſcẽdere debet, cũ quo cõſentit Epiſtola Thomę de Bononia, q̃ ſtatuit illi humiditates naturales nõdetrahẽdas eſſe vt Ar-

noldus facit, qui ſublimat eundem, Eſt quidem & Lullius in libro Mercuriorum & Ioannes de Rupe ſciſſa cũ Arnoldo vnanimis eius tamen non meminit Lullius in clauicula fieri poteſt vt vtroque modo recte paretur, habita ſaltem cura, vt recte purificetur & ſubtilis ſatis euadat.

Quando exteriores nigras ſordes detraxeris, humiditates ſuperfluas (non naturales) tolle, terram illius acrẽ & ſubtilẽ effice, vt penetret, atq; ad calorem & ſiccitatem procliuitatem acquirat, ſic recte præparaſti, ſiue ſublimẽ ſiue deorſum agas deſtillatione: Internã tamen indiſpoſitionẽ, nihil illi aufert, vero ſulphure excepto: ſublimatio & deſtillatio vulgaris, externũ quid tantũ pręſtant. Myſtica ablutio non fit aqua vel humore elementari, quia mercurius, inquit Geberus propter nullas cauſas
„ exterminationis permittit ſe diuidi
„ in partes compoſitionis ſuæ, quia
„ aut tota ſubſtantia ex igne recedit,

aut tota in illa permanens ſtat, no- »
tatur in eo perfectionis cauſa. Lau- »
detur ergo Altiſſimus, qui dedit il- »
li ſubſtantiam & proprietates, quas »
non habet res vlla naturalis, nec in »
vlla reperitur hæc perfectio. Ipſe eſt »
qui ignem ſuperat, nec ſuperatur »
ab eo, ſed requieſcit in eo, amice eo »
gaudens: hæc ibi. Conſidera & hæc: »
Puriſſima argenti viui ſubſtantia, »
qua perficitur medicina, elicitur ex »
corporibus & argento viuo, ſecun- »
dum naturam, cum ſint reperta vni- »
us naturæ. In corporibus difficili- »
us reperiuntur, in argento viuo »
propinquius, non autem perfectius »
cuiuscunq; igitur ſit, ſiue corporum »
ſiue Mercurii, medicina fiet lapidis »
precioſi. Arbitratur parum inter-
eſſe, ex quocunq; Mercurium puriſ-
ſimum extrahas. Poſſes autem eun-
dem ex duabus naturalibus rebus
trahere, ex corporibus perfectis, vel
ex Mercurio h. e. Mercurium de
Mercurio, quod eſt ſpiritus Mercu-

rii', qui per prædictam præparationem conficitur est enim alias Mercurius per se, talis spiritus per totum seu tota sua natura (vt Geberus refert) vt ita nequaquã ex non spiritu, spiritus noster efficiatur, sed spiritus purus ex impuro, astrum ex corpore &c.) educatur. In Rosario habetur, Mercuriũ conficiendũ p Mercuriũ, vel per aq̃ mercurialem, illud ad particulare, hoc ad vniuersale. Alias etiam traditur illum non per mercurium esse faciendũ (scilicet vulgariter amalgamãdo) sed per viã philosophicã. Et hæc illa est via quam tibi Geberus mõstrat, ex Mercurio, per mysticã vel philosophicã sublimationem. Viã ex corporib⁹ habes apud Lulliũ in clauicula, licet particulatim & abbreuiate. Solidius declarare tibi nõ queo. Si tamen vlteriore hac in re disquisitione delectaris, atq; declares te filiũ Doctrinæ esse, apud peritos nulla tibi deerit institutio.

Verba & phrasin autoris quod refert,

fert, is te iubet argentum viuum eligere, q; natura suppeditat, quin & loca tibi monstrat, vtpote Vngariam &c. In Paracelso legitur de Istria. Sed tibi perpendendum relinquo, cum scias de generationis metallorũ ab optimis, causam, inter alias etiã hãc vnam esse, quando locus natalis seu matrix, in qua oriuntur, non optime sunt disposita: an non Mercurius tibi ex aurifodinis Vngariæ sit petendus?

Procul omni dubio veteres Saraceni & Arabes, ex fodinis elegerunt auri: Geberus Hispanicũ sumpsit. An vero apud tales argentũ viuum reperiatur tibi neq; Erastea phantasia, neq; profunda speculatione opus est, notissimum est effodi mercuriũ Vngaricum, Croaticum, Hispanicũ, Arabicũ vt & Indicũ teste Monarde, eumq; circa aurifodinas, ex quib⁹ sępissime p aquarũ defluuia expellitur, aurumque secum vehit. Atq; ista est materia, quicquid alii sta-

Praeparatio Mercurii est mystica sublimatio & coniunctio cum sulphure maturatiue.

ſtatuant, cui in tota mineralium natura ſimile nil reperies, nihilq; quod proprietatem ad opus habeat. Verba ſunt & cabaliſtici ſermones, dum philoſophi aiunt, Mercurium ſuum non eſſe argentum viuum, verum quidem eſt, attamen ab illo prodit, neque in ſubſtantia quicquam aliud eſt, hoc ſolo excepto, quod arte ex argento viuo natiuo, mercurius fiat, cui tradat quo deſtitutus eſt, auferat quo abundat. Sed qui fit iſtud? percepiſti ex autore noſtro, & ex Gebro, oportere ipſum per ignem elaborari & ſpiritualem fieri, vt naturam ſuam leproſam amittat, inq; cœleſtem vertatur eſſentiam. Ignis in illo conſumit quod combuſtibile eſt: calx & tartarum ad mundum eluunt, vtraq; exſiccant, eumq; calidum & acrem atq; auri cui quam proxime is familiaritate coniunctus eſt, ſi purus ſit, auidiſſimũ reddunt. Duo vero ſunt ignes, myſticus alter, alter elementaris, hic nihil aliud

præ-

præſtat quam externã munditiem, ille vero internam procurat: externa mundities pauco eſt adiumẽto, neq; etiam elementaris ignis illi adhærere poteſt, ipſe enim elabitur mercurius, quapropter antequam quicquam incipias præmeditate agas. Animaduerte tamen id quoq;, quod ipſum ad puritatem minora mineralia multum promouere poſſint: & qui acres ſales recte nouit adhibere, ita vt illi exterior humiditas, nequaquam vero interna naturalis deſtruatur, is optimo inſtructus eſt remedio. Philoſophis vſitatum eſt, dicere, lapidem ſuum eſſe ſalem fuſilem, aquam ſuam acetum acerrimum, & quæ alia ſunt eius generis appellationes plures, quod ne tam pueriliter accipas quemadmodum in altera præparatione per oxalmen, altius quiddã meditare, & ſalem fuſilem deprehendes.

CA-

CAPVT VIII.

De Compositione.

ACcipe vnicam auri puri & bracteati: præterea ℥. 1. argenti tenuiss. quoq; laminati, vt sint vnciæ 2. ad triplum Mercurii primum sublimati, vt sint in vniuersum vnciæ 8. vel lotones 16. ista omnia in patera bene conterantur vt fiat amalgama. Hic multa sunt notanda.

Additio A. Libauii.

PVerile videtur quod numerat bis duo, deinde ter tantundem donec 16. fiant, præterea admirandum videtur, quod præter aliorum philosophorum verba, de auro argen-
» toque malleatis dicat. Hoc Her-
» mes cauebat, dicens, Pater eius est
» Sol, mater Luna, portauit illud ven-
» tus in ventre suo, nutrix eius est ter-
» ra. Sed mysticum quid tibi indicat
» dum ait, hic multa sunt notanda.

Debet

Debet fieri compositio: hæc duplex „
est,'compositio virtutum & corpo- „
rum. Compositio spiritualis & e- „
lementaris : magica, sensibilis &c. „
qualis intelligenda, longe non inquirendum, sed ex proximo ab autore pete.

Multos ego tractatus chymicos scriptos & expressos legi, publicos & priuatos,idq; reperi, quemuis vti sua peculiari ratione, neq; alius per alium facile explicatur, omnes fere sunt parabolici. Si igitur Lulliũ velles intelligere per Arnoldum, idem foret ac si mysterium aliquod,per aliud explicare conareris,cum vtrũque esset obscurum. Itaque autorem retine,quem maxime putes naturalissime scribere (præsuppone te exactum esse physicum, quantum fieri potest) quem declara ex seipso.

Graue etiam est artifici licet experto, alterius cogitata exponere, cum non intelligatur quo respiciat au-

autor, an opus inchoet à fine, an à medio vel principio. Eſt etiam diuerſitas experimentorum & artificii, vnde ſæpe alter alterum reprehendere videtur, non quod artem ignoret, ſed quod non ſatis artificioſe tractet. Igitur quis exponet in talibus myſteriis, quo quisque autor reſpexerit in ſuis allegoriis, cum parabolæ ſint ambiguæ explicationis? Supra ab autore prolatum eſt, lapidem eſſe tres lapides, in vno, & eſſe omnes tres mercuriales, ita vt lapis ſulphur, anima, aurum, mas, & quæ alia, nomen habet, ſit vnius rei materia ſeu natura, intus feruidus ignis, aër, aut vis maſcula & potentia effectiua vel procreatiua ſimilis, quo interna motio oriatur: At lapis argentum, corpus fœmina &c. ſit in eadem illa re, & mercuriali natura, procliuitat ad corpus, vel appetitus ad fixionem vel ad fixum corpus: & hæc eſt potentia materialis ac paſſiua, quæ ab agente impregnatur,

tur, atq; intra seipsam gignit naturam constantem: quæ initio fuerat frigida&humida, sed ab interno Sole igneo excalefacta est, & tandē ad siccum calorem peruenit, pro natura agentis Solis. Hi duo lapides gignuntur à tertio qui Mercurius dicitur, qui tamen nihilo secius cum istis vnius est naturæ, in cuius virtute illi quasi sopiti iacent, sed per motum excitantur, &mox ab illo generantur, hoc physici dicunt ex potētia in actum produci, per actum cōformem. Hæc magica est compositio, quæ si hoc capite innuitur intelligas oportet, Mercurium philosophorum talem esse debere, in quo inueniri possit potentia mascula cum fœminea (aut solaris cum lunari sulphurea cum mercuriali &c.) iusta proportione quæ Anatica dicitur. Sed spiritus vtramq; triplo debet superare. Ipsa enim in ventre suo gestat, h. e. in seipso occultatum & absconditum aurum

philosophicum tanquam patrem, argentũ vero philosophicũ tanquã matrem. Occultans vero maius est occultato, neq; tamen excessus vll⁹ adesse debet, ne operatio impediatur. Atq; sic omnia à Deo in sua proportione, pondere atq; mẽsura creata sunt, vt quodlibet pro sua voluntate, neq; aliter producatur. Et sic habes id quod autor annotandum putauit, sed hoc præceptum applica tuæ præparationi, nam præparando fit compositio sapientum. Argentũ viuum naturale, arte in mercurium sapientum transmutare debes. Id hoc modo perfice, additione & subtractione, vt illam acquirat proprietatem, vnamq; partem duplam habeat, in Sole & Luna, alteram partem triplam: & hoc Rebis fit, ex duabus rebus, sulphure & mercurio, nec tamẽ minus mercurius suum habet inuisibile sulphur secum, hoc si percipis, bene est, sin minus plura dicere nescio, sed apud doctos inquiras alios.

Alias

Alias compositiones quod attinet, testatur Geber & Bernhardus &c. cum nostro autore, duplicem esse Mercurium, idq; tibi ex Lullii clauicula proposui, in qua & Mercurius corporum & crudus, attamen purgatus committuntur. Alius quidem scribit philosophus, nisi aurum viderem non crederem veram esse artē, sed illius splēdor illi aufertur. Multa quoq; inuenis de cōpositione elementorum, quæ non iuxta vulgarē physicam, sed magice aut mystice sunt intelligenda. Aurum & argentum naturale sunt in vniuersali fermentū, aurū ad rubrum, argētum ad album, atq; hic etiā fit compositio. In particulari est etiam alia, ex auro vel argento (non enim sunt cōmiscenda, neq; etiam necessariū est) sed non in sua corpulentia, præterea quædam est compositio in imbibitione, de qua inferius agendum: Itemq; in multiplicatione & in proiectione atq; aliis.

Vide quæ cōtra Michelum sunt edita.

Amalgama. Amalgama quid ſit, aurifabris etiam notum eſt, ſed qualis ars, tale etiam amalgama. Quidam Michaëlius hoc ipſo me irriſit, ſed inuenitur in hac ipſa arte etiam apud Thomam & alios: ſi recte intelligas, ſuo modo verum eſt. Quin etiam de auro & argento ſcribens aliquibus offendiculo fui vult & hic ſibi ſcientiam lapidis arrogare, Tubingenſis quidam Baccalaureus dixiſſe fertur: Bene non refert quid ego velim. Hactenus diligentius huic arti nauaui operam, quo myſteria eruerem quam tu Baccalarie tuo Donato operam dediſti, quod non adeptus ſim, Dei voluntati id eſt tribuendum: interim tamen perſpicio illam non carere fundamento, euidenterque naturæ potentia agnoſcitur.

Talia experimenta etiam ante noſtram ætatem potentiſſimis Imperatoribus fuere oſtenſa, vt fatendum omnino ſit, argentum in aurum,

rum, ferrum in cuprum &c. poſſe conuerti. Quod coram ſenatu Veneto factum eſt, vt argentum viuum in aurum mutaretur, ne hoſtes artis quidem negare poſſunt. Quod autem de his commenter, id mihi exercitii loco eſt, aliisque qui forte minus cogitando aſſecuti ſunt, adiumento: Ego cotis vicem ſubeo Horatianæ, quæ etſi ſecandi acumine deſtituatur, ferrum tamen exacuit: vel vt illum Medicum me affectum puto, qui licet medicinam ægris non faceret ipſe, ſcribendo tamen & docendo alios inſtruxit Medicos. Hanc facultatem ne mihi Bacalarie ne detrahas obtrectationibus tuis.

CAPVT IX.

De vaſis & collocatione.

VAs vitreum inferne globoſum habeat ventrem, collumq; ſatis procerum & amplum, in cuius fere medio zonam ſeu limbum eſſe oportet, vt ſimilia vaſa inſterni, com-

missuræque diligenter communiri queant. Tale vas cum amalgamate, impone cineri cocto, in pyxide querna, in medio diuisa, atq; probe custodita, ne humiditas vlla aut calor solaris eo pertingat.

Additio D. Libauii.

INstumenta ad opus necessaria sunt 1. vas duplex, certæ formæ 2. cinis purus coctus 3. pyxis è ligno quercino 4. lutum & hæc hoc loco nominantur. Quę si omnia coniungantur vt Mercurium concludant, assimulantur ouo, pyxis lignea testa est exterior: vas vitreum cutis interior, albumen est Mercurius, vitellum mas & fœmina, Sol & Luna, magis tamen Sol vel solaris virtus & sulphurea: Cinis ambit vitrum intra pyxidem: alii gossipium eligunt.

Causa est quod requiratur fomentum aliquod, calorem retinens


exi-

exiguum, aut fimus vel balneū, qui initio vix percipitur: præſtant deinde etiam munimenta vitro: idq; intelliges apud Bernhardū per Quercum fiſſam, & lapidem pulchrum quercu circumdatum. Conſtruuntur etiam muri in circuitu, qui ſpeciem præbent fornacum ad putrefactiones. Quamuis initio etiam alia ratione communire poſſis, ne beſtia aliqua bruta irruat & deſtruat aut aues præcipites, quæ omnia indagare, & inueſtigare conantur: hocq; eſt fontina. Vitreum vas poſſet eſſe phiola, alia quadam phiola contecta.

Quidam ad id eligunt vaſcula ſeparatoria, alii alia malunt. Quodcunq; autem ſit, neque laxum neq; ſtrictum nimis eſſe oportet vas: & quandoquidem Mercurius ſemper adiectione augetur, ideo illud tibi præſciendū eſt, quod in medio colli, limbum habeat vas cui inſtratū alterū innitatur, id accomodatiſſimū

est ad apertionem & clausionem, ne quid lutamēti forsan incidat, itemque ne te spiritus exhalans lædat, & ne iidem spiritus, dum circulandi sunt euanescant. Sunt qui nihili faciant apertionem & clausionem, sed totam quantitatem abdunt in phiolam rotundam, collum Hermetice contorquent, vel agglutinant igne, vt cuiq; commodum fuerit, hoc iudicio non caret, tempusq; habet suum. Cum autore consentit Greuerus, qui vult interdum respirationi locum dandum, ne suffocetur, vtitur exemplo vegetabilium & licet obiici posset fœtus in vtero materno conclusus, tamen hoc non obstat, natura enim illa instructa est variis viis, quibus expirare potest, quod ipsum etiam testatur ploratus in vtero, sæpe exauditus, licet sine respiratione fieri non possit, sed huius litis me non faciam participem. Causæ sunt cur alius hoc, alius alio modo procedat, etsi vterque bene ope-

operetur, dum primus considerat pręcedens, alter subsequens tempus. Forma vitri talis esse possit: Quã formam habeant phiolæ, scaphæ, ouum philosophicum, pateræ, matrices,



&c. reperies in meis commentaris & apud scriptores alios, lignea illa pyxis, pro modo vitri est conformanda rotunda est, si contortæ & conglutinatæ phiolæ adhibentur. Cinis ideo excoquitur ne sal illius acris calorem adaugeat plus iusto, neq; concrescere debet, quod fit dum sal sine calore assiduo vna relinquitur. Et licet hoc negotium à catillis differat, quibus metalla immediate imponuntur, excepto subtili leuore seu puluisculo (qui tamen contra salis fluxum inter excoquendum parum facit) lõge ta-

 men

men arti magis competit, omnia habere tersa & munda, siue tibi risum ea res siue nauseam excitet, pyxidem cur in medio deceat esse apertam, ipse intelligis. Inquit autem in medio, non in summo fastigio, si consilium hoc placet, vitrum non in lebetem vel catinum collocabis, medio indiuisum, nisi forte non tale vitrum, sed longam phiolam, cuius collum promineat vsurpes, quod tuæ experientiæ committendum.

Locus præterea eligãdus quo pyxidem colloces, qui neq; humidus sit, neque calidus eo gradu qualem Solis radii facerent, ideo neque in cellam neque in balneum aut fimum humidum inferes, vt neque fornaci cui ignis sit substratus, sed in locum temperatum: vbi elementorum nullus sit excessus, frigus enim destructiuum est non generatiuum, maxime si excedit, & putrefactio debita requirit competentem calorem, &c humor non debet foris esse sed intus, &c.

Mira putrefactio in fimo vbi fimus intus sit pars substantialis

pos-

posses extruere domunculam loco fornacis,in qua conclusum vitrum collocetur.

CAPVT X.
De putrefactione.

SIc reposita citra ignem septem dies relinque : die octaua renoua fimum & ignem h. e. adde ℥.j. primũ purgati Mercurii , atque sic subinde pergendo , quolibet die quinto , ℥ j. donec adhuc nouem partes Mercu-rii,id est ℥.18.vel lotones 36.ad amalgama accedant. Ita summatim habes Mercurii ℥.24.solis ℥. j. Lunæ ℥.*j.* omnium summatim ℥. 26. seu lotones 52.His corpora putrefiunt quod fit ab initio primæ imbibitionis diebus 90. ex quo emergit Mercurius philosophorum , vera prima materia , de qua omnes philosophi scribunt.

Additio D.*Libauii.*

CItra ignem vllum relinquere, est elementarem ignem non admo-

mouere: detinetur in epicausto solũ aut vaporario, vbi quis commode sine caloris aut frigoris molestia degere potest: inest tamen ignis externus dicitur & aqua apposita ignis, ex quo intelligis in hoc opere triplicem haberi ignem. Primus est elementaris cuius hoc loco nullus vsus : alter est potentialis seu virtualis , tertius est spiritualis. De virtuali supra expositum est, quod nimirum sit vis animæ sulphuris aut auri, quæ hic nondum comparet , adhuc in profundo submersa latens. Spiritualis ignis est mercurius præparatus , qui fimo hic comparatur , eo quod in se habeat causam vnde corpora illi commissa putrescunt & se resoluunt. Ex Aristotele discis quo pacto id quod putrescere debet , oporteat paulatim terminum suum iinternum, quem à siccitate & calore habet, amittere & loco illius humiditate & frigiditate augescere, id fit etiam hic in auro & argento chymico , in quod humiditas

ap-

appropriata & associata paulatim se insinuat, terminumq; seu naturæ obserationes dissoluit. Quod autem in natura cõtingit ab elementis & aliis circumstantibus, id hic expedit artifex, qui ipsi aquam humidam tepidamq;, ceu imbibitione quadam adauget, vnde & autor imbibitionem appellat, quamuis ad illam nondum deuentum sit. Quidam statim tantum adiiciunt mercurii, quantum necessarium, sicq; in occluso operationi suæ committunt. Notum nihilominus est physicis, paucum citius computrescere multo, vbi vero putredinis initium in pauca licet materia factum fuerit, tum in sequentibus facilius succedit, hęc tecum ipse disputa ad satietatem. Quantitas additamenti sese extendit ad partes 9. iuxta proportionem quãtitatis corporum, aderant pręterea partes tres, qui est numerus duodenarius, de quo Alanus scribit, cape vnam partem auri vel argenti pictorum, aut te-

nuiter laminati (quò subtiliores n fuerint laminæ,eo citius in mercurium abeunt)ingere in fornacem Hermetis,adde partes 12. Mercurii optime purgati, fiat amalgama, colloceturq; bene obstructū cū cinere sicco excoctoq; atq; tum ignem extrue moderatum,&c. Item si assumas ad corpus partes tres mercurii, & vnam partem corporis mercurii, habebis minus debito, ita vt vix menses tres putrefactionem pducere possis, sed aqua mercurii cōsumitur citius in animā Solis vel Lunæ,q̄ debebat: Ideoq; præstat vt initio sumātur partes 12.mercurii,& vna pars corporis,occlusumque cineri immergatur & coquatur per menses tres,&c.

Hæc verba videntur ac si iuxta literam accipienda forent,neq; etiam pugnabo, sed tamen materias tuas sapiēter præparatas,te habere oportet, vt supra expositum est, alias parum profeceris. Ego iuxta verba periculum feci, naturæque potentiam

ob-

obseruaui, multam videlicet hisce oculis nigredinem, eamq; separaui, etsi partes omnes ad summum essent purgatæ, neque erat, vt quidam arbitrabantur, solius Mercurii impuritas, hanc ipse contemplatus sum alias, sat scio sordium illarum conditionem, illa autem nigredo indies augebatur, etsi singulis septimanis eam segregarem, & hoc ipsum leges apud Vlstadiũ, qui appellat sulphur auri: Item Alexander à Suchten idem de suo Mercurio Antimonii scribit. Et cum animus non esset operis absoluendi, non enim coagulatio fieri aut commixtio poterat, innatante semp nigredine, ideo corpus residuũ rursum detraxi, aqua regia attenuaui, iterumque ingessi, tum multo plus emergebat nigredinis subtilissimæ & impalbabilis, quasi fuliginem Thuris attingeres Hæc ideo tibi reuelo, non vt eodem pacto procedas, ego solum experimentum sectatus sum, an etiam iuxta literam res sese

Obseruatio propria.

Sulphur auri quod mercurius excernit facto matrimonio philosophico.

ſeſe haberet, vt autor ſcribit, idq; ſic apparebat, eratq; ſulphur Solis, ſed ad coagulationem hoc pacto nihil proficere potui neq; forte deſunt ſua artificia, aliis plus quã mihi nota verumenimvero & alii idem periculũ fecerunt, quod illis nequaquam ſucceeſſit vti ſcribunt.

Theobaldus Hogelandus de Alchymiæ difficultatib. pag. 29. &c. deceptus colorib. iuſta procul dubio defuit præparatio.

Mea iſthæc opinio eſt, vt & initio dictum, veram artem eſſe longe ſubtiliorem, quæ ſolum ruditer per corporalia iſta repræſentetur, licet & illa ſuis non careat rationibus ſed non eſt cuiuſvis, recte illa præparare opus ad finem perducere. Atque huc etiam te deducit autor, qui plus vna re nõ habet, in qua iacent aurum argentum & Mercurius, corpus, anima & ſpiritus quæ ipſa ſunt ſeminales vires maris & fœminæ non aſpectabiles, ſed occultæ, in actum tamen deducuntur per putredinem parabolicam. Vnde vero hæc tibi virtus ſit petenda atq; in vnum congerenda, id ex Gebro didiciſti ſupra, qui tibi pro

vno

vno Mercurium monſtrauit, pro altero vero corpora perfecta, in illo procul ſunt recondita, in his vero prope ſunt tamen vnius naturæ: Ideo quãdo ſemina è metallis extracta ſunt, & cum Mercurio præparato vnita, ars quidem eſt ſubtilis, ſubtilior tamen adhuc eſt, cum vnico Mercurio, qui in ſe vim Solis & Lunæ ſuſcepit, operari: In metallis integris, vt hic litera ſonat, eandem veritatem inuenis, ſunt enim partes mercuriales, quæ in ſe continent id quod alias quæris: ſed validiſſimæ ſunt ſeraturæ, multaque impedimenta, propter aliena, quæ coniunguntur, hancq; arbitror fuiſſe cauſam, cur mea coagulatio nõ proceſſerit, quod Mercurius meus nimis eſſet humidus, quem licet ſæpius per ignem agitauerim, perfectus tamen non erat. Hinc concludas quid tibi agendum ſit, ex meo defectu facile agnoſces quid tuum opus requirat. Cogita etiam de tali medio, ſi mercurius putrefactionem

Tres modi ad vniuerſale in totis in extractis in ſolo mercurio præparato philoſoph.

absoluit, nigredinemq; exhibuit, an nō necesse habeas humiditatem superfluam quam in putrefactione cō-traxit, nouis præparationibus auferre & ad coagulationem disponere, vt & terram nigram sitientem. Considera quæ Lullius in sua clauicula scribit & cum hisce confer.

CAPVT XI.

De capite Corui.

Elapsis diebus 40. in tali putrefactione, materia desuper nigrescet si intra id tempus nigredinem non contrahit, erratum est, hæc nigredo initium est tincturæ veræ, verumque semen. Isthæc nigredo, quam coniuges hoc matrimonio generarunt, caputque corui, & aliis nominibus pluribus appellatur, à Mercurio separanda est, ea subtilitate & dexteritate, qua fieri vnquam potest, atq; singula seorsim asseruanda, vel per linteolum segreganda.

Additio D. Libauii.

Dies hi 40. mẽsis sunt philosophicus, & sic experimento cognoui meo. Sed nõ vna cõparet vice verum lento gradu & successiue, multaq; fit admodum, si non apparuerit (nigredo) inquit autor, erratũ cõmissum est h.e. corpora ad solutiones non recte fuerunt præparata, mercurio adhuc existente nimiũ inerti, humido crassoq;, qui debebat esse acris, subtilis, penetrãs, corpora quoq; ipsa astralia, sicque Sol & Luna in mercurio coniuncta, veram passa fuissent Eclipsin. Quod si ne sic quidẽ promouetur opus, iterũ segreganda (loquor autem iam secundũ literam: & secundũ modum tertium, percepisti n. me triplicẽ rationẽ insinuasse) & in cucurbitã inferenda omnia, ex qua mercurius aliquoties abstrahẽdus totus, sordesq̃ singulis vicib. pueniũt abiiciendæ, vltimo mercuriũ iterum per tartarũ mundificato & per calcem, corpora repurgentur & spiritualiora

fiant,per aquā regiam : excandeſcāt probe macerentur in liquore tartari candefiant iterum & coniungantur de nouo. Hæc pro meo arbitrio trado, non n. placuerat vlterius in arte per experientiam periculum facere, cum naturæ potentiam agnouerim. Si compendioſior tibi rectificationis innoteſcit ratio,nemo quin eandem vſurpes prohibebit. Qui in ſolo mercurio operatur, is horum omnium non eſt indigus loquor de Mercurio ſolo,duplici,duobus modis,de quib. in ſuperiorib. Quo pacto aquā à capite corui ſeparaturus ſis, autor tibi liberū facit, monet tamen fieri poſſe per panniculū, idq; imitatus ſum, & deprehendi ſemper mercuriū tranſcolari,nigredinē vero in pāno relinqui ſemperq; aliquid adhæret,vt integrū ſeparari non poſſit. Idē perfeci per calamum ſcriptoriū, in aqua vero pulchre ſuccedit: liberatur enim nigredo à mercurio&in aquā ſecedit ſeſeq; poſtq̄ mercurius ablatus eſt,in fun-

fundum demergit, aqua poteſt trāſfundi nigredo vero exſiccari. Melius autem eſt ne aqua admittatur, quod & ſupra autor prohibuit, fortaſſis & hæc cauſa fuit quod caput corui etſi ſufficienter iterum exſiccarim, ſuam propriam aquam amplius aggredi & cōſumere noluerit. An vero talis nigredo auri ſemen eſſet, vel tincturam haberet, iuuabat experiri. Itaque aquam regiam affudi, mutabatur in puluerem rubrum ſed ad tincturam non adhibui, neque etiam poteram tingere cum fixa non eſſet. poſſet tamen in morbis vires præclaras oſtendere, quamuis nondum in ſua exaltatione. Scire etiam cupiebam eſſet ne puluis iſte fugax an minus debebat n. extractus eſſe ex corpore fixo, & factus volatilis, ſed grauis erat & fundum petiit. Igni immiſeram, acquiſiuit alas mercurii & auolabat. Hinc patet auem eſſe illam, quæ noctu vagatur, vt philoſophi myſtici parabolice loquuntur.

Et hæc iterum potentiam cernis naturæ, quæ cum sermone philosophorum consentit. Ista tibi obseruationis ergo non ex speculatione, sed ex rei vsu declaro.

CAPVT XII.

De Fornace.

FOrnacem decet esse instructam suo interstitio & cōmoditate, quo calorem exhibeat æqualem & continuum, instar radiorum Solis, & tantum etiam caloris gradum qualis expeti vel ex vsu esse potest.

Additio D. Libauii.

CVraueram apud figulum ex argilla bene subacta fornacem extrui cum suis tabulatis, vt à Rupescissa describitur.

Alias licet & furno acediæ vti, de quibus consule commentaria, quid de Athanore annotarim.

CA

CAPVT XIII.

Principium coagulationis.

HIs peractis colloca opus tuum in fornacem, atq; per continuum octiduum calorem subministra, primum debilem tunc siccitas humiditatem euincet, octiduo elapso ager iste, seu semen valde sitiet appetetq; suam aquam seu pluuiam.

Additio D. Libauii.

NIgredo quæ hactenus caput corui est cognominata iā terra opaca & nigra nominatur, filius natus, &c. Mercurius separatus dicitur pluuia, ros lac virginis &c. atq; iam etiam vides elementorum vicissitudinē & separationem, primū n. frigus adest & humiditas, ibi aqua & terra vna est massa: mox paulatim mutatur in aërem densum donec tandem igneam naturam acquirat. Ita primum erat nigrum, tenebricosum & turbidum, ex quo paulatim euadit

album, purũ lucidũ. Hactenus fuerat solutio & volatilitas, succedit iam coagulatio & fixatio. Et hoc Hermes his verbis voluisse creditur, dum ait: Nutrix eius terra est: id est conseruatur & constans est in fixatione ascendit à terra in cœlũ, iterũq; descendit in terram, h. e. ex fixo factum est volatile, & volatile redit in fixum ex coagulato soluitur, & ex soluto denuo coagulatur, & sic habet naturam corporis & spiritus inferiorum & superiorum. In destillatione elementorũ fit putrefactio, 2. aqua extrahitur remanente terra, . terrę redditur aqua & extrahitur cum ea aër qui ab aqua separatur, 4. terra restans denuo aqua pfunditur, vt cũ ea ignis eliciat.

Vt autẽ debeat reponi, facile capis. Coagulatio fit in cinerib. ad quã paratur catillus è luto, hic collocatur sup tripodẽ arcanorum, recta supra id foramen quod in media regione fornacis tabulatę factum est, lamina ferrea cinctum, in catino cinis est, qui continet vitrum superne paulu-

lum prominens, vt colores obseruari possint: huc spectat operculum, vt occlusum in stufa sicca manere possit, sub catino in craticula, collocata est lampas vel lumen, aut ignis prunarum, qui directo catinum feriat: exactam habeat graduũ distinctionem necesse est, quemadmodum in sequentibus dicendum, in principio gradus in cineribus (hoc in opere pro secundo habetur sed nequaquam primum alias superare debet) materia euadet sicca. Sed ita statuẽdum est, quasi de lacte virginis aliquid adiecisses: terra enim nigra adhuc aliquid secum retinet, & primo nutritur à suo succo, quem ex solutione extraxit, hoc consumpto aut coagulato, dicitur terra sitiens, quæ imbuenda est imbre vel rore Madian, quod fit octiduo.

CAPVT XIV.

Imbibitio.

HInc iam summo studio obserua, quantum nigredinis in vi-

tro fuerit, cui pro arbitrio humiditatis, aut Mercurii separati tantum adiunge, vt siccitas humiditatem vincere possit: hac adhibita omnino cautela, vt siccitatis plus sit quam mercurii, de quo nullum certum pondus præscribi potest, ipsa te ratio & coniectura ducat, hæc duo per biduum in cinere frigido, citra ignis commercium bene vniantur: dein rursum octiduo integro fornaci tuæ impone, iterumq; coagulentur. Hoc fac eo ordine, mensura & ratione, quo ad totus ille mercurius, quē initio reseruasti, simul sit coagulat⁹ & calcinat⁹. Notandū autē cū nigredo post singulas imbibitiones augeatur tu etiā magis magisq; imbibitione, ignisq; auctione, quantū qdem ferre & potest & debet, sequaris, sed ita ne Mercurius auolare cogatur, nulla enim hic festinatione opus est: Requiruntur dies fere 90.

Additio D. Libauii.

De pondere ait Bernhardus es

vê

veteribus philosophis, in hoc opere maxime attendendum esse pondus sulphuris, q; est in mercurio, siquidẽ elementũ ignis, qui in vero mercurio dominatur, materiã digerit. Sciendũ autẽ prius est, quantũ triũ reliquorũ elementorum, ignis euincere possit. Ex codice vertitatis: Vbi ve- „
stram cõiunctionẽ sine pondere fa- „
citis cauete ne vnꝰ ad alterũ nimiũ „
sit. Ex Albuga sale. Terrena vis exe- „
rit suã resistentiã pro resistentia: dif „
ferentiã põderũ causatur vis agẽtis „
&c. Ex physicis notum esse debet, ventriculo debiliori parum cibi cõcoquendum præbendũ esse validiori plus, & sic cuiq; quantum subigere potest, sic & hoc loco. Principio hoc sulphur admodũ est debile, parũ cõcoquere valet, tu vero æstimato quantũ perferre queat non semꝑ idem põdus est nigredinis, neq; eadem vis. Si abundet & valeat, illi pro rato tribue. De imbibitione vel nutritione etiam in aliis artibus, si

rationem intelligas, v. g. in Chirurgia dum Sarcocolla nutrita paratur, vel dum Chymici sales aut sulphura, cum suis aquis & liquoribus imbibunt, eo facilius assequeris quæ hic docentur. Calor internus qui iam indies magis magisq; roboratur & ex aquea humiditate emergit, aëris naturã adipiscens, is ab externo excitatur, sed illa adhibita moderatione, ne ab infante suo, lac virginis haustum, iterum cogatur euomere aut eructare, nosti Mercurii fugacitatem, vix calorem persentiscit, tũ summa petit, id quod tuæ intentioni aduersatur, nõ enim cupis segregare, sed coagulare. Itaq; patiens necesse est cum agente esse, contactum corporali & mistione per minima, alias nulla fieret conuersio. Iã si ordine imbibitio sit peragenda, requiruntur dies circiter 90. vt & in solutione. Et hi dies naturali modo supputantur. Quidam tamen artifices in suis præparationibus

bus, tam sunt industrii, vt ista non respiciant, minimeq; pro edicto prætorio habeant, simpliciter appellantes suum mensem siue paucos siue plures dies habeat, illos tamen informat motus materiæ, quã strenue pergendum sit. Si lac ab infante cito absumatur, moxq; sitiat, celeri cibatione opus est: Cibus iste in substantiam nutriti conuertitur, vlteriorem sibi nutritionem exposcens: & vt puer pluri indiget alimento quam infans, semperq; alter voracior est altero, ita & hic sese res habet, itaq; obseruabis ipse, quot diebus procedat negotium & coagulatio absoluatur.

CAPVT XV.

Operatio secunda ad Medicinam secundi ordinis.

FActa iam coagulatione totius aquę cum corpore, calor illi posset dari validus, tolerabilis tamen, sic

corpus cōpareret albidius, & quædā partes in Lunam tingerētur, sed hoc in operis & operantis damnum cederet, ideoq; talis rursum processus renouetur. Sume corporis albi & calcinati quantum fuerit, huic tres alias partes primo purgati mercurii addas, quæ in patella solutoria bene inuicem conterantur, transfer in vas vitreū primū vel simile, tū mercurius humidus coagelatum soluet, iterū corpus nigrū deponet, quod pingue & oleosum, oleum sulphuris nuncupatur. Quando Mercurius & corpus diebus 10. sine igni elemētari steterint, neq; à coagulato soluūtur, & ad nigredinem disponuntur tum humiditatis est defectus, & sulphuris excessus animaduertendum tamen est, ne nimiū accedat humiditatis, nimisq; diu coagulatio differatur. Iā vbi in debita adminstratione superne iterū cinis niger deprehendatur, tum illa nigritiem detrahere & mercuriū inde separare o-

Ōl. sulph. hic aqua assumpsit aerē, & dicitur cum eo destillari.

portet: cinerem rursus decet imbibere, & quantũ necesse fuerit coagulare omnib' momentis & articulis vt prius debita mensura & ꝓportione, quo siccitas humiditatẽ vincat & in sui potestatem conuertere valeat. Oportet autem post singulas imbibitiones materiã biduo, in cinere frigido reponi, antequã ad calorem elementarem adhibeatur & inibi bene contemperari. Et quia corpus est augmentatũ, ideo & ignis augeri potest, coagulatioq; intra dies 35. aut 40. absolui. Tandem vratur probe, vt pulchre albescat, & sic opus ad fermentationem vsq; perductum est. *Arsenicum sublimatum elixir.*

Additio D. Libauii.

REpetitio hæc est praxeos, mutatis mutãdis: hic enim nulla sunt corpora vt prius, sed album sulphur philosophorũ soluitur vt prius. Sed quia sulphur in maiori est quãtitate ideo & aquę maior reqritur quãtitas ser-

ſeruatur tamen proportio tripla. Quidam hoc loco non vtũtur Mercurio ex ſublimato confecto aut deſtillato, qui prior eſt, ſed altero loto, cum ſulphur tam ſit potens, vt cruditatem ſuam commode ſuperare queat. Sed non facile à præcepto artificis eſt recedendum, ſi artis non ſit certa cognitio, intellectu alias facilia ſunt quæ dicuntur. Prioris operis finis erat coagulatum album, quod aliqui terram philoſophorum aut calcem, alii cinerem de cineribus &c. appellant: Alteram calcem appellant etiam ſtannum, priore enim coagulando eſt Saturnus, ex quo fit ſtannum ob aſſiduam coctionem & nutritionem. Dicitur etiam ablutio Latonis: Ignis & Azoth abluunt Latonem. Ignis vis eſt in terra operatiua, quæ humiditatem euincit, & à calore vaporoſo elemẽtari excitatur. Azoth idem quod lac virginis, quod ipſum Mercurius, qui corpora ſoluit, ab iisdemque tem-

temperamentum quoddam conſe-
cutus eſt, dum enim in ſolutione
corporum occupatus eſt (omne e-
nim agens à patiente repatitur & al-
teratur) is à corporibus iſtis calefit
& maturatur acquirit etiam princi-
pium fixionis, dum ſoluit, coagula-
tur &c. ſicque ad coagulationem &
nutritionem aptior redditur, cum
prius abeſſet gradu vno. Cur autem
ablutio dicatur, cauſa eſt, quod al-
beſcat, quod prius nigrum fuerat, q;
etiam alias vſitatum eſt lotoribus o-
mnibus. Quod igitur primi ope-
ris finem conſtituit, id ſecundi fit
principium. Ait autor ſi Latonem
vel ſulphur embryonatum (ita enim
quandoq; dicitur) bene exuras, poſ-
ſe illo tingi & argentum confici. Alii
cenſent vnam partem poſſe ſeptem
partes vel decem transmutare, de
quo certo mihi nil conſtat. Certe fi-
xum nondum eſt, atq; tum demum
plumbum creditur, ſicq; plumbum
ſolum futurum eſſet, præterea ſi vna

pars posset decem trāsmutare, opinari quis posset, in sequenti opere nullam futurā solutionē, sed transmutationem, cum tres tantum partes ☿. ad totum assumantur, nisi fieri possit, vt ignis defectus id impendire potuerit, sed hæc suo loco relinquam: Si Deus tibi gratiā ad hanc rem largitus fuerit, veritatem facile inuenies. Iam facta denuo coniunctione, iterum facienda est sublimatio, & extractio terræ nigræ, & hæc est extractio & sublimatio philosophorum. Sublimatio eleuat sulphur in superficiem, innatat puluis leuis in summo aquæ opacæ seu aceto. Generalius accipienda etiam est extractio, sed sine ignis externi cōmercio, hic enim nihil operatur pręter ignē in mēstruo vel Mercurio occultatū. Nigrū puluerā aliq. etiā appellant, Draconū natū in nigredine sua Post dies 10. augetur aqua ꝓportionaliter, donec illi⁹ partes 9. accedant, ex quo intelligas vas seu vitrū hu-

huius operis, capacius requiri q̃ prioris. Monet autor vt aceti nimiũ nõ sumatur ne coagulatio nimis diu ꝓtrahatur, & ideo pondus aquæ sequentis exprimere nolunt, sed tuo iudicio & arbitrio id committunt. Solutione peracta opacum à lucido segrega, sed prudenter. Imbibitio vt ab initio fiat, coagulatioq; , ope caloris externi, qui iam in secũdo gradu collocatur, materiæ enim plus est, & corpus aliqua ex parte fixius redditũ est, atq; in terrã durabiliorẽ soluta. Mercurius quoq; q in solutione fuerat, ad coagulationẽ factus est opportunior. Quidã in arenã collocãt, sed sufficit si ignis vno gradu augeatur, & à principio gradus paulatim ad finem progrediaris: Tandem duplo vritur vehementius quam initio, iamq; est calx fixa, Arsenicum fixum, Elyxir, quod stanno comparatur & nondum perfectum est, Aqua aliquantulum dealbatur inquit Rosarium, & istud est Elyxir. Nota:

hoc ipsum etiam est ex elemento aquæ & terræ facere aërem: Terra & aqua erat initio, aqua à terra est separata per destillationem, remanente terra in prima operatione aliquantum alba & cinerea. Iam aër vt secundum elementum, à terra quoq; separandus esset, id quod fieri non potuerat sine aqua propria, ideo aqua rursum terræ reuerberatæ fuit reddita, putrificata & iterum destillata. In fine destillationis aër cum aqua adunita prodiit, quæ tamen duo vnum sunt coagulatum & per imbibitionem inuicem incorporata, cum lapis hic sit aëreus, vel aëri in calore & humiditate temperata comparari possit, ideo parabolici philosophi, aërem appellant, & & hæc est extractio elementorum: Ignis in terra adhuc infixus est, tandem etiam separatur inferius.

CAPVT XVI.

Fermentatio ad album.

Corporis ſupra nominati bene calcinati, ſumatur dimidium, vel quantum videtur aut potes: adde argenti tantundem puriſſimi & ad ſummum vſque expurgati, pro fermento ad tincturam albam, argento fluente puro addatur iterum tantundem elyxiris vel paulo plus: omnia bene commiſceantur, tunc ſulphur album, argentum ſub ſuam poteſtatem rediget & vincet, quæ omnia probe calcinentur.

Additio D. Libauii.

ELyxir materia eſt communis ad album & rubrum, ideo etiam fit ex vtroque principio ſolari & lunari, quamuis dicant philoſophi alii, aurum eſſe hermaphroditicum, & per mercurium cohiberi vt etiam commune elyxir fiat. Sed de iſtis nõ diſputabo: vtrumq; ſume vel alteru-

trum. Acutiores censent aurum sumendum solū, cum inmisturis in æqualibus, etiam inæqualis solutio sit & coagulatio. Elyxir communis, sumitur dimidium ad albam, dimidiū ad rubrā tincturā, quamuis ad placitū & ꝑ facultatibus, cum alter plurimum, alter parū impendere possit. Quod si expectare posses donec tinctura alba in rubeam verteretur (est enim argētum potentia aurum, deest sola coctio, vnde album & rubrum si quid non fixum remansit) tum rubea nō indigeres: de Elyxire autem sumeres pro libitu, illudq; fermentares, reliquum reseruares ad necessitatem. Quomodo autem fermentum & Elyxir, item qua proportione componi debeant, expressum est. Argentum & purum excoctum esse oportet, quod catillo iniicitur fornacis anemiæ, eliquato interitur Elyxir, forma pulueris, & vtrumq; simul vritur valide, ferunt enim vtraq; ignem, ꝑ natura argenti.

CA.

CAPVT XVII.

Eclipsis & Lunæ & Tinctura alba.

CAlcinatum corpus impone patellæ, affunde primo purgati mercurii partes tres, vel tantum vt humiditas ſuperet, bene commiſce, tum habebis corpus, animam & ſpiritum iterum conuenienter vnita, hinc rurſus exurgit quædam nigredo & cinis, quem prudenter collige, calcina, imbibe, humecta & coagula tamdiu, donec humiditas omnis à ſicco conſumatur, perficitur omne illud dierum 40. ſpacio: Interea apparent colores varii & mirabiles, attamen vltimo bene calcinandũ, vt egregie candorem niuis acquirat, & ita tinctura alba perfecta eſt.

Additio D. Libauii.

FAcilis intellectus eſt huius capitis ex præcedenti, idem eſt enim opus quod fuerat initio, niſi quod auri loco, elyxir ponas, & ſic

iterum tria in vnum redigas. Elyxir est anima, quæ hic restituitur corpori, diciturque corpus animatum. Corpus est fermentum, spiritus est Mercurius, q. & ipse animatus dicitur, conteruntur omnia in amalgama, primum sumendo aliquam portionem Mercurii, deinde maiorē, reposito in vase vitreo reliquum affundendo, tantum non sumitur quantum initio, ne coagulatio differatur. Existente materia in putrefactione extra ignem, vera Eclipsis oritur Lunæ, h. e. illa nigredo, quam seorsim colliges, donec totam habeas, atq; tum coniunctionem & coagulationem institue, cum debita imbibitione & regimine ignis, vt supra explicatum.

Autor docet terram calcinandam esse, h. e. diebus 4. vel pro rei exigentia pluribus, aut paucioribus, ad ignem detinendum solum, in vase, quo siccescat atq; tum potionatur rore suo cœlesti & coagulatur ordi-

ne vt initio : Hic ingredo inter coagulandum paulatim abit in albedinē ignisq; augetur, atq; antequam vera albedo appareat, cum ignis intenditur, ſeſe oſtendit cauda pauonis, h.e. ſcintillulæ apparent in vitro mirabilium colorum , mox ſequitur color albus argenteus fixus qui eſt tinctura alba & medicina alba, nec tamen adhuc verum vniuerſale , vſus tamen eſſe poteſt in morbis.

CAPVT XVIII.

Multiplicatio tincturæ albæ.

ARgenti vini pure eloti partes cētum ingenerantur in catillum, ad ignem, ferueāt, dum effumare incipit, aliquid huius tincturæ iniiciatur modo præparatæ, & bacillo bene commiſceantur , fiet puluis ſubtilis hūc multiplica altera vice, tum 100. partes ſingulæ rurſum centum reddent. hoc eſt 10000. repete vt ante: Mercurium impone cum tigillo in fornacem anemiam accenſam, inca-

lescente & fumante illo, partis modo multiplicatæ, vnam, iniice & commisce, fiet denuo puluis subtilis. Tertio centum partes mercurii calefac, quib. de altero multiplicato partem iniice vnam & bene commistis, fiet argentum inde probum. Si in opere forte commissus esset error, tincturæ eo plus sumendum sin minus & ad vnguem sit perfectum, exaltatumq;, eo etiam minus requiritur. Argenti si nimis esset spissum durumq; mercurii plus sumendum. Et hæc est tinctura alba.

Additio D. Libauii.

HÆc si sese eo modo vt autor scribit, habuerint, thesaurus esset immensus, quod ipse facile existimabis, ex 52. lotonibus initio sumptis & secundo ac tertio repetitis, atque repetitione auctis.

Et quamuis minimum quis perficeret, posito tamen quod aliquis tincturam ad multiplicationem vsque

pro-

produxerit, cuius haberet tantum lotonem vnum vel ℥.ß. vnica hæc semunica, præberet lotones 100. in prima multiplicatione: rursum ℥. ß. sola vel loto vnus, alios centum, iam in argento foret lotonum, 1000000. Verum non arbitror rem tam facilem esse. Veteres meminerunt etiam alterius cuiusdam artificii in proiectione, de quo illos adire & consulere potes.

Optime autem admonet autor, vt bene attendas, quantum tinctura tua possit. Credibile est facili negotio erratum aliquod posse committi, neque etiam artifices æque omnes periti sunt & experti, vnde vt supra meminimus Geber ait, cum aliqui vellent argentum conficere, ortum illis fuisse plumbum aut stannum, vbi aurum peterent, natum æs vel cuprũ vel ferrũ. & hoc etiam hic contingere posset, maxime cũ inueniatur in natura etiam argentũ purũ differens bonitate, cur igitur illud ẽt

non

non contingeret in arte. An autem sufficiat vt argēto spisso ac duro mercurii plus addatur ad nimis molle, plus tincturæ, experientia docebit. Existimo fieri posse vt etiam prorsus non succedat, si elyxir suam debitam perfectionem & qualitates nō acquisiuisset. Signa vero perfectionis etiá apud alios reperiuntur. Artifices primum experimentum capiūt ex probatione paruæ quātitatis, antequam suscipiant maiorem quantitatem, perinde vt fusores argenti & excoctores solent qui cuprum perficiūt.

CAPVT XIX.

De tinctura rubra.

SVlphuris albi reseruati vel elyxiris tantum, quantum tibi videtur congruum, fluat cum pari portione auri puri, vel fermenti rubri. Elyxir his affunde, atq; bene commisce, tū in vnum redigetur Elyxir, fac vt aliquot diebus bene vratur, tunc adiunge illi tres partes Mercurii, bene cōmi-

misce, atque etiam in vnum redigentur omnia, sed hoc faciendum absq; igne elementari, quo aliquot diebus inuicem humectentur & denigrentur: Tandem ad ignem transferantur, subinde augendo calorem, vt niger ille color euanescat, tum varii oo curre nt colores, & corpus egregie dealbabitur. Ignem elementarem porro vrge, luteũ acquiret colorem & in igni magno rubeum tandem instar pulchri Rubini. Hũc terminum si diuina & peculiari gratia, patientique diligentia adeptus fueris, summum in hac miseriarum valle thesaurum possides. Quo cum procede vt cum Elyxire albo, vnam semper partem adiiciendo 100. partibus Mercurii, vna pars tingere debebit 1209984. partes. DEO gloria.

Additio D. Libauii.

HOc capite describitur fermentatio ad rubeum, multiplicatio & transmutatio, sed omnia breuiter, quia ex praecedentibus percipiũtur: Iam

Iam quartum accedit elementum, sua ignea rubedine fermentum est aurum purum, quod funditur fornace anemia, vel ante follem, adiicitur tantũ elyxiris, miscetur, vritur probe iam enim non amplius ex igne euolare potest, deinde conteritur cum tribus partibus Mercurii purgati, putrefit in cinere sine igne elementari, quod breui fit, hinc oritur eclipsis solis. Solutione transacta, separatur, nigra terra in ignem collocatur, qui esse potest aliquanto validior quam initio, qua exsiccata, offertur hauriendain aqua propria quæ ab illa abstracta fuerat, sicque Draco volans, qui in fundo vitri dorso incumbit, suam ipsius deuorat caudam quod ipsum etiam ordine fit, vt supra, iuxta successionem elementorum in destillatione, per gradus ignis. Aqua omni absumpta & coagulata, incipit albescere, vbi rursus apparent colores elegantissimi, atque demum alba redditur, auro albo comparanda,

Eclipsis ☉.

Draco deuorans caudam

da, altiori gradu quam argentum commune.

Deberet etiam tingere argentum sed igni detinetur, tertiusque gradus inuritur, donec flauescat, & tandem quartus h.e. igne aperto, vase valido, vsq; dum summam intensamq; rubedinem acquirat. Et hoc verum creditur vniuersale in omnibus morbis, qui fataliter curabiles fuerint & eo vsq; etiam sese extendit consideratio medica.

vniuersale medicamentum.

Aurum vero confecturus id multiplicat, proiicit vnam partem in 100. partes Mercurii feruentis, ex quo fiunt partes 100. medicinæ: harum rursus pars vna ad centum, fiunt ex toto partes 10000. Iam si huius pars vna Mercurii transmutaret 1209989. partes in aurum, illæque saltem existerent drachmæ, orirentur quintetæ, 12099844 0000. auri puri, quod experientiæ relinquo, posset & occultus inesse sensus, simulque compre-hen-

hendi augmentatio. Vere esset immensus thesaurus huius vitæ, si nimirum beatitudo in diuitiis & sanitate consisteret, sequereturq; verum, vt huius beneficio ad ætatem Patriarcharum quis accedere posset, vt Paracelsitæ somniant. Metuo tamen, vt quis etiam ad has diuitias & sanitaté perueniens quiete degat, posset autẽ alicui res suspecta fieri ex dictis Bernhardi qui dicit, se lapidem in sua ætate, quater confecisse certe multum illum insumpsisse; oportuit in morbis & liberalitate, vel parum vna vice confecit, vel augmentationem ignorauit. Opinor illud solum de fermétatione esse intelligendum, non de principio vsq; ad finem. Quidam philosophi etiam hic mentionem faciunt. signorum perfectionis, & vt errata sint emendanda, item quale remedium ad proiectionem requiratur. Aiunt enim non tingere nisi prius tinctum sit qui multiplicationem non per Mercurium, sed per calcem

argenti faciunt, in tinctura alba, per calcem vero auri, in tinctura rubra: mentionem etiam faciunt mille partium additionis, ita vt si quis ℥.j. haberet pulueris rubri, ad transmutationem non posset adhibere, nisi haberet drachmas auri puri 1000. Debent autem transmutari (vt & autor statuit) metalla imperfecta & mercurius, illa à Gebro peculiariter pręparantur. Quidam solum depurant, & amalgama faciunt cum hydrargyro, supra quæ faciunt proiectionem. Sunt qui prætendant Mercurium solum, non posse facile transmutari, sed illi adiungendum esse ferrum, fieret enim nimis mollis & inhabilis. Alii signum credunt medicinæ imperfectæ alias pharmacopola Taruisinus & Paracelsus, etiam Mercurium per se in optimum aurum transmutasse perhibentur. Sed de his hoc loco vlterius disputare meum non est.

CAPVT XX.

Augmentatio vtriusque tincturæ perpetua.

CApe pulueris postremi, bis cum 100. partibus Mercurii multiplicati, de albo vel de rubro quantum lubet, superinfunde Mercurium, vt humiditas exsuperet, & sine omni igne soluat, & nigredinem exhibeat, hanc nigredinem collige vt supra, & proprium ebibendum propina liquorem, coagula igne elementari & calcina: tum adde illi fermentum, argentum aut aurum, vt prius, bene vrantur.

Huic Mercurium tertia ponderis parte associa, paululumque citra ignem maneant, commisce probe omnia, sic erunt omnia vnius naturæ, hocque iterum valde probe calcinetur, vt prius dictum factumque. sicq; vnum erit elyxir. Hoc multiplica rursum cum 100. partibus Mercurii, idque ter repete vt prius, sic rursum ha-

habebis aurum & argentum. Hancq; repetitionē singulis quibusq; dieb. 50. absolues, vt sic sit opus perpetuum. Deo gloria.

Additio D. Libauii.

HIc nihil aliud habetur nisi repetitio, incipiendo à secunda operatione, & progrediendo ad tincturā vsq; seu transmutationem, nisi quod hoc loco elyxir multiplicatum, pro calce alba sumatur. Quod autem facilius procedat opus, credibile est, magna enim est vis tincturæ, & ignis internus potens. Mirum tamen est creditu, quod tam cito soluatur, nihilominus ea vi præditum, vt 100. partes Mercurii, in aurum vel argentū mutare queat, vt taceam tres partes, tantū cū quib. soluitur. Inuenio autem huius rei hāc rationem, quod nimirū Mercurio magna familiaritate est coniunctum, ab eoq; facillime solui possit, neq; eam habet fixitatem, quam aurum. Deinde non

traducitur in actum ab igne externo ideo plus patiendum illi est quam agendum dum vero igne excalesit, transmutat & coagulat Mercurium suum statim, pro vt illi ab artifice gradus imprimitur. Nota ex augmentatione, posse hic Mercurium crudum per acetum & salem lotum, habere locum, quod initio fieri non potuit, corpora enim nimis erant conclusa, hic vero omnia sunt spiritualia. Et ex hoc ipso conclude Mercurium philosophorum, ex vulgari extrahendum esse, alias foret res peregrina, si vltimo assumendum esset hydrargyrum, & initio aliquid diuersum fuisset assumptum: Nihil heterogenii & peregrini debet accedere. Libenter etiam hinc concluderem in errore versari illos, qui credunt ab initio operis neque aurum naturale requiri neq; auri tincturam, sulphur aut mercurium: subtilis est inuentio, quæ auri vim, secundum naturam, in Mercurium infundere possit. Tu vt commo-

modius videatur, ad finem properare poteris. DEVM precor vt ad ipsius nominis gloriam & vtilitatem Christianorum faciat.

CAPVT XXI.

Vsus ad Medicinam.

DVo elyxiria album & rubrum, antequam cum Mercurio, à centum ad centum vsque multiplicentur, propellunt vel sanãt omnes morbos (vide Arnold. de villa noua) si incurabilis morbus per annum integrum afflixisset, tum granulum vnum, quantitate seminis sinapi, quotidie assumptum, 12. dierum spacio percurat, si vero vlcus esset inueteratum, menstruo spacio, singulis septem diebus, assumpto vno grano, magnitudine vnius grani synapi curaretur. In summa omnes membrorum sanat contractiones, & paralyses lepram, hydropem, podagram, colicam, epilepsiam, &c. Hermes

inquit si nostri elyxiris assumpseris quantitatem seminis sinapi, septem continuis diebus, tunc cani tui decident, & nigri succrescent in locum illorum, vt robustus & iuuenilis euadas, atque DEI & artis huius auxilio vitam produces. Ingenii vis ita confirmabitur vt dici non possit. Geber & Hermes testantur, si puerperę exiguum quid huius pulueris ad nares admoueatur, tum quamprimum parituram sine difficultate. Omnia etiam venena consumit, omnes corporis affectus tollit, estque medicamentum super omnia summum mysterium à natura occultatum. Hactenus autor.

Additio D. Libauii.

FInis huius tractatiunculæ tutissima & præstantissima pars est, cuius gratia etiam ars hæc addisci posset, sicq; statuo, eo vsq; DEI benignitate progredi nos posse, vt ex tribus

præ-

præcipuis mineralibus, in suam primam materiam & astra redactis, tam præstantem medicinam paremus, quam nõ ex vlla re alia metallica, vtcunq; sese trãsmutatio habeat. Quod autem necessario maximis viribus præditam esse oporteat, id ex natura & experientia trium facile concludes, maxime cum per ignem internũ & externum tam sint exaltata, vt tuto etiam in vsum venire possint, prudentia & peritia accedente id ex eodem fundamento exploratum est. Quid Mercurius præstet, & vt administretur, satis notum est: ipse in suæ substantiæ puritate venenum non est, sed si cum aliis mineralib. minoribus componatur. Et licet ob suam cruditatem, aquositatem & frigiditatem nocere possit, ista tamen omnia illi per præparationem & exaltationem auferuntur. Expertum deniq; est, argento viuo vulgari leproso & noxio per aurum & sulphur auri, maxime posse resisti. De auro

& argento verba facere non est necesse. Si igitur componentia per se sola ad medicinam commodissime faciant, illa non poterunt excludi coniuncta purificata & exaltata, si modo perite tractentur. Deinde in specie de his dicendo, quæritur ad quos morbos talis medicina sit vtilis. Isti artifices profitentur ad omnes, quod durum est, maxime si addant vocem incurabilium. Quomodo Paracelsici discipuli de hac re declamitent, notum tibi fuerit. Veriores philosophi, imitantur Galenica dogmata, passionesque diuidunt in essentiales & symptomaticas (aliter etiam sic diuidunt, in affectiones seu affectus, in essentiam morbi, caussas & symptomata) hæc vero medicina cum specificum sit, potissimum morbum specificum, hoc est, essentiam morbi respiciet: qui morbus cum sit suorum symptomatum caussa (nullo alio interueniẽte) simul & secum auferet symptomata essentiam

tiam morbi comitantia vel ſequentia, quatenus adhuc ab eo dependent. Quantum autem ad cauſas morbificas, & ad humores, aliaq; in corpore ſuperflua: ea quatenus ſpiritualia fuerint, eatenus à tali quoq; medicina poſſunt ſuperari, ſi tamen recte adminiſtretur: ſic vt aliquando fiat curatio per ſe, aliquando per accidens, vt Galenicis etiam notum eſt, quod hoc pacto vnica Medicina poſſit etiam contrariis ſatisfacere. Alui feces, aliæq; impuritates craſſæ, vel per roboratam naturam expelluntur, vel ad id extant purgantia. Ita quod Chirurgiæ commiſſum eſt in vulnerum curatione, in ablatione putridorum &c. illi etiam relinquendum. Et hæc breuis eſt opinio non Paracelſitarum, ſed veterũ, quę Hippocraticæ medicinæ nil derogat. Quod vero de vniuerſali dicitur, id hoc modo accipiendum, non quod etiã morbos fataliter in mortem tendentes curare poſſit, hoc e- *Vniuerſale.*

nim decreto diuino antiquiori aduersaretur, sed illos tantum qui à Deo ad curationem sunt prædestinati. Item est hyperbola & argumentum à maiori ad minus coniunctum, atq; etiam sic intelligendum, vt veteres Hippocratici Galenici ac Arabes medici Panacas & generalia medicamenta habent.

Vox etiam vniuersalis, nō in eum sensum detorquenda est, vt mercator Panacearius, de suo puluere & terra sigillata scribit, quasi ista tinctura, vna & sola, omnia pręstare possit, quę in morborum depulsionibus requiruntur.

Verum aliis etiam relinquendum, quod illorum est: neque præparátia & adiuuantia, bona dięta, chirurgica auxilia, vt scarificationes, & venæ sectiones &c. si necessaria fuerint, negligenda. Quomodo vero incurabiles curabit affectus? hoc non Paracelsico more interpretandum, sed quod aliis remediis

diis cessurum non est, curabile tamen est, si æger & externa consentiant, potissimum vero si Deo ita videatur, vt æger euadat (sunt enim quidam morbi pœnæ Diuinæ, quibus nullum remedium humanum saluti est, vt Medicus quidam ad Antiochum dixisse fertur, ipse etiã vult Hipp. in morbis concurrere aliquid Diuini, cuius gratia nulla alia auxilia quam placationes numinis Diuini requirũtur, (qua in re statim initio morbi æger occupatus esse debet) tum persanat vlcera, & affectus, qui vegetabilibus & animalibus remediis nequaquam vincerentur, vt podagram, quartanã, hydropẽ, Elephantiasin, hemiplegiã, epilepsiã &c. Obseruandũ & hoc quoq; est, talẽ Medicinã quandoq; essentiã morborũ extirpasse, remanentibus tamen symptomatis immedicabilibus, quæ postmodum morbi per se fiunt, vt si Epilepsia cum conuulsionibus vel spasmo aliquid abrupisset,

pissct, vel distorsisset, quod post modum restitui amplius non posse perinde ac si alicui dens fuisset excussus. vel gangrena pars aliqua ablata esset: ibi quidem curabile esset quod Epilepsiam &c. attinet, deperditum vero nequaquam semper restitueretur. Deinde maxima opus est prouidentia ad talia medicamenta spiritualia, non enim tam sunt rationalia vt Paracelsici credunt, sed agunt mere naturaliter, per se, vbi enim multũ fuerit materiæ peccãtis, ibi multum quoq; resoluitur, atq; vna spirituale redditur, vt Mercurius, huius vi facile euenire potest, nimirum negligentia & imperitia, vt aliquod apostema transferatur in locum, vbi suffocationem inferat: exhibita medicina Epileptico pleno, Epilepsiam augere potest, vt Paracelso accidit. Nobiles & igneæ medicinæ requirunt vsum prudentem. Sophisticum est in fatalibus terminum accelerare, vel in

aliis

aliis cito ſuccurrere, ſiue plenus ſiue vacuus venter ægri fuerit. Fieri quidem poteſt, vt Deus prædeſtinarit & determinarit, aliquem medicamentis vehementioribus & perniciosis ad mortem vrgeri, ſed id nõ excuſat illum, qui medicamentum tale exhibuit, vel etiam qui temere aſſumpſit, iſta enim non ſine iudicio fuiſſent ſuſcipienda. Ferunt etiam illum qui hac medicina epota moriatur, colorem naturalem non amittere, neq; cito poſſe computreſcere, vt in quibusdam cernitur, balſamo conditis cadaueribus: his non aduerſor. Si enim balſamus eſt tam præſtans, qui naturæ ſuccurrat, qui ſpiritus, humidum radicale & calorẽ roboret, nullamque putredinem admittat: ipſis credendum eſt, ſed ita, ſi æger aliquid adhuc ſubſtantiarum talium ſecum habuerit, & forte repente ſuffocatus interierit, vt in peſte, ſtrangulatione vteri, catarrho ſuffocatiuo, Apoplexia &c.

cum medicamentum nullam humiditatem naturalem aut calorem natiuum efficere poſſit. Alicubi quidam Paracelſiſta eſſe dicitur, qui in commendatione ſuorum arcanorum Chymicorum perhibeat, Paracelſum non eſſe mortuũ, ſed Salisburgi in ſepulchro viuum ſedere tanquam in ſomno, quaſi conniueret, idq; vi arcanorum, quæ de lapide & aliis ſæpe aſſumpſit. Citius ego crediderim ſenem illum Ahasuerum Iudæum, adhuc in terris ambulare inde à Chriſti natiuitate, quam hoc ipſum, quamuis Iudæo nullum ſit teſtimonium probabile, ipſa etiam ſcriptura hac de re ſibi aduerſante. (Iudæus perhibetur non amplius potuiſſe Hieroſolymam peruenire, nihilominus poſt aliquoties centum annos ipſum Hieroſolymã reperiſſe deuaſtatam, vt non amplius agnouerit.

Item omnem ipſum potuiſſe factorum in Oriente hiſtoriam refer-

re, qui tamen post aliquot centenos annos in regionem redierit, quam non agnouit. Potuisse etiam ipsum recensere vbi Apostoli singuli vixerint, quomodo martyrio affecti &c. alius ipsum appellat Buttadæum, alius aliter) Talium apertissimorum mendaciorum, quosdam Paracelsicos non pudet, qui nihilominus in magna sunt apud Magnates autoritate. Verum veteribus non plus est tribuendũ, quam illi voluerint.

Arnoldus de villa noua, etsi tincturam magni fecerit, tantum tamen non attribuit quantum Paracelsitæ, ille ipse Galenicus fuit Medicus, cuius volumina Medica exstant. Testimonium illi perhibetur quod aurum tale confecerit, quod omnes probationes sustinuerit. Quæ vero in morbis miracula ediderit non elucet: quæ dixit & scripsit, non omnia suæ experientiæ addixit, sed veteribus etiam aliquid

aliquid reliquit. Iam multis annis, multorum medicorum curationibus, in multis & variis morbis, quãplurima eueniunt.

Quod si solum de Rhabarbaro diligens haberetur inquisitio, mira recenserentur in variis morbis. Sæpe medicamentum aliquod hunc curat, quod non curat illum, in eodem licet morbo, qui tamen morbus curatur, sed diuersis mediis. Ego non patiar mihi facile persuaderi, tincturam omnes hydropes, in omni indiuiduo, etiam curabiles auferre. Sed hoc experimentis cognoscendum. Posteri sæpe proauorũ inuentis multa addunt, similesque sunt mercatoribus, qui dum egregiã gemmulam aliquã vel herbulam in India reperiunt, quæ nostris terris denegata est, eam (vt peculiare quid præ aliis habere credantur) extollunt: vbi sæpe opinio seu imaginatio quædam atq; fiducia tam firmiter se se associat, vt initio prorsus mi-

raculoſe operari putetur, antequam innoteſcat: vbi vero iam innotuerit, perinde vt Panacea Ambaldina peſſum it, ſic nemo vt vellet clauda conducere muſca.


Addit etiam autor noſter, quamuis non de ſuis experimentis ſed ex aliis, morbum annuum, tincturæ beneficio curari intra dies 12. ita vt dies quilibet menſem coæquet. An hoc ab experientia ſit deſumptum, an à proportione confectionis lapidis, & virtutis illius exaltatæ, non facile quis aſſeuerauerit.

Ego ſupputationem factam à tempore Elyxiris ſuſpicor quę nouē menſes fere requirit, vt in vtero fœtus (quamuis aliqui tam velint videri ſapientes, vt credant citius poſſe etiam fieri & tardius: pro ingenio artificis) ſed exaltatio per multiplicationem & augmentationem, redit ad 6. ſeptimanas, 4. ſeptimanas, tres vel 4. dies &c. pro vt ſæpius ex-

altatur, & ita anni in menses, menses in dies mutantur.

Tantum de arte Hermetica. Largiatur DEVS vt illam adipiscamur, & ea recte vtamur.

DEO GLORIA.



IA-



IACOBI BESSONI DE ABSOLVTA RATIONE

EXTRAHENDI OLEA, ET aquas è medicamentis ſimplicibus, accepta olim à quodam Empirico, poſtea vero ab eodem Beſſono locupletata, & rationibus experimentisq; confirmata, Liber.

CONRADVS GESNERVS Lectori S. D.

PLVRIMVM ſane debent omnes rei medicæ ſtudioſi Iacobo Beſſono Delphinati Gallo, viro in opere Geometrico, & machinarum præſertim variarum vitæ humanæ vtilium, inuentio-

ne incomparabili, & summo amico meo: quod absolutam olea ac liquores medicatos, è simplicibus medicamentis eliciendi rationem (quæ annis aliquot hactenus apud paucos delituit) tam candide nobis impertitus publicauit. Est & ille in eo candor laudandus, quod artificium hoc ab empirico quodā se accepisse fatetur: quod tamen ipse mox rationibus atque experimentis locupletarit. Fuit autem empiricus iste Germanus, qui in Saxonia aut finitima aliqua regione, ni fallor, vixit. Quod idcirco dico, vt aliæ nationes sicut pro aliis quibusdam artibus inuentis, ita hac ipsa quoque medicis longe vtilissima, quantum debeāt Germanis, & intelligant clarius, & fateantur libentius. Valerium Cordum Simesusium Germanum, doctissimum felicis memoriæ iuuenem, primum audio nostra memoria huius artis fundamenta iecisse. Hanc alii postea, & inter cæteros præcipue Bessonus, prouexere adeo, vt iam fere perfecta videatur circa liquores tum oleosos, tum aqueos ab iis, quorum Bessonus meminit, extrahen-

bendos medicamentis: vt sunt semina, baccæ, herbæ, aromata, cortices, radices. Nam vt à lachrymis seu liquoribus pinguibus, qui natura à plantis quibusdam extillant, oleum educatur, alia est ratio, & alia quoq; circa metalla &c. quæ Bessonus aliis post se memoranda reliquit, nondum enim plene hæc tradita sunt: ab Hieronymo Cardano quidē, & Ge. Agricola, & in Thesauro Euonymi, & aliis fere libris, inchoata quædam duntaxat. Socio lea & liquores varios, arte Chymica inprimis, à crassiori materia separandi rationem, superioribus sæculis nō prorsus ignotam fuisse: at qui hic docetur huius artificii modus, vt plane nouus & maioribus nostris incompertus, ita facilitate atque vtilitate insignis est.

Vale & Bessonum nostrum ama.



AD MAGNIFICVM ET ILLVSTREM VIRVM, IOANNEM Stegerum, Senatorem & Quæstorem inclitæ ciuitatis Bernæ: atque Dominum Rotuli, & Montium veteris & Magni, Iacobi Bessoni præfatio.



DVERTENDVM iam est, Patrone obseruande, oleorum simplicium effectus in odore & sapore, & alia quauis qualitate dignosci posse, partim experientia, partim proprietate ipsorum simplicium medicamentorum ex quibus extrahuntur. Nam si hoc vel illud præstant, id maxime oleum eorundem expressum efficere comperietur: quandoquidem illud ipsum purissima totius simplicis pars est,

est vt postea clarius animaduertes. Tā mira inq̄, in iis cōprobabunt, ii præsertim q̄ medicamēta norūt, vt eos penitus fateri oporteat, artē istā diuinitus inuentā fuisse in medicinæ laudē, & gloriā, modis eā tn. apprime calleant. Nā eadē variis modis p̄fici potest, sed q̄busdam parū feliciter: vt si magni sumptus faciendi sint, si diu in opere hærendū est, si oleū aduratur, si limpidū atq; ea cōsistentia qua latitabat in materia, non educatur: si genuinū saporem & odorem non retineat: si denique aliqua improprìa qualitate imbuatur. Istes omnibus vitiis lōge à scopo p̄posito distillator trāsuehetur. Quamobrem in hoc multū diuq; elaborauimus vt aliquam absolutiorē viā inueniremus quod quidem olim adminiculo cuiusdā empirici, additis etiā postea multis rationibus & experimentis fauste assequuti sumus, eamq; hic qua potuimus industria tractauimus, ac nō solū in eadē de vera methodo distillādi olea ex simplicibus medicamētis cōmemoratis dicturi sumus, verū ēt. de ratione eliciendi vi ignis liquorē aqueū illū, quē alii q̄ntā appellitāt

essentiam, deque aliis multis: vt singula suis locis posita & digesta (quantum in nobis fuit) cerni poterunt. Quæ quidem omnia tractare etiam potuissent hodie non pauci instructi dudum ab eodem empirico, & per se inde confirmati etiam vsu & multis rationibus, quibus inquam doctrina & eruditione me longe inferiorem esse ingenue fateor. Verumtamẽ quia nullus eorum (quod appareret) hanc ipsam distillandi rationem hactenus mihi aggressus videbatur, factum est vt ego nullius pene notæ, minus veritus sim quicquid in ea possem attentare ita tamen vt hic coram Deo & hominibus obtester me nunquam conquesturum, verum potius vehementer posteritati congratulaturum si posthac ad maiorem frugem peritior quilibet formulam huius modi immutet, emendet locupletet,, & cuncta perficiat. Interim minime contemnenda hæc, quæ prius in lucem dedimus, à veris & candidis harum rerum studiosis, sed potius in ea re nostros conatus ab eisdem non sine laude & fauore excipiendos spero. Idq; maxime

xime quum te ſtegere patronum mihi ad hæc eſſe omnibus conſtabit, qui quidem literatis, omniumq; virtutum ſtudioſis (oblata occaſione) ſic fauere ſoles vt te merito omnes amemus & ſuſpiciamus. Atque adeo vt nullus exiſtat inuidus qui improbare audeat, quod tu ſemel iudicio & prudentia ſumma ingenii tui optimum iudicaueris, & defendendum ſuſceperis. Ex quo ſatis apparet te ea nobilitate & pietate ornatum eſſe & præditum, vt facile ignoſcas & in bonam partem accepturus ſis, ſi iſta à me prodeant non adeo magna & exculta, vt dignitati & famæ nominis tui plene reſpõdere poſſint. Quod ſi (vt prorſus ſpero) feceris, dabo operam vt alibi tibi, ac quibuſuis candidioribus lectoribus, cum maiori ſtudio & diligentia ſatisfaciam. Verum de his hactenus. Vt cuncta igitur commodius digeri queant, quinque membris rem vniuerſam duximus diſtinguendam, quorum primum de fornace erit, Secundum, de numero vaſorum quæ ad opus requiruntur. Tertium, de modo diſponendi materiam diſtillandam, ac vaſa diſtillatoria inter Argumentum libelli.

ſe, nec non de tenore diſtillationis diſſeret. Quartum, induſtriam ſeparandi oleum à ſuo vehiculo, demonſtrabit. Quintum vero ſuper iſtis quatuor capitibus aliquot quæſtiones ſoluet.



IACOBI BESSONI DE ABSOLVTA RATIONE EXTRAHENDI olea & aquas è medicamentis simplicibus, Liber.

CATALOGVS HERBARUM, seminum, & aromatum, ex quibus essentiæ in oleaginosam substantiam, arte distillatoria elici possunt.

Nomina herbarum hæc sunt.



ROSMARINVS, Serpillum, Ruta, Calamentũ, Origanum, Lauendula, Chamæmelum, Saluia, Hyssopus Basilicon, Spica Indica, Apium, Stœchas Arabica, Saturcia, Absinthium, Leuisticus, Thymus, Mentha, Polium montanum Iua arthritica, & Sauina in affectibus vteri, præcipue vero, vt summatim dicam, ex omnibus herbis calida

lida & ſicca temperatura, ſuaueq́; olentibus elici poſſunt olea.

Nomina autem ſeminum hæc ſunt.

FOeniculum, Aniſum, Siler montanum, Cuminum, Petroſelinũ, Amomum, Amni, Anethum, Santonicum, Nigella nigra & alba, Daucus, Careum. Ex plurib. aliis ſeminibus ẽt ſuaue olentib. eliciuntur olea.

Nomina vero aromatum hæc ſunt.

CInamomum, Piper nigrum, Zedoaria, Cariophyllum, Macis, coſtus odoratus, Laſerpitium (aliqui Angelicam vel Imperatoriam Laſerpitii nomine vocant) Galanga, Grana Paradyſi, Nux moſchata, zingiber, Cubebæ, Cardamomum, Calamus aromaticus, Cyperius. Item ex quibuſdam baccis: Lauri, Iuniperi, Sauinæ, & ex corticibus citri, & arantiorum & aliis eiuſmodi.

De fornacis materia, forma, ac menſura.

CAPVT I.


MAteria fornacis ſunt lateres putearii, id eſt, rotundi quodammo-

modo, ſaltem interiori parte, quorũ latitudo eſt octo fere digitorum longitudo autem fit ad arbitrium figuli, ac craſſities eodem modo. Hi ergo ſicut forma ipſorũ & ars architectonica poſtulat, coagmentati in altum, æquabilem ac rotundam capacitatem (ſaltem interius) continebunt. cuius capacitatis diameter in hoc negocio, minor eſſe non debet vno pede, altitudo vero tres pedes non excedat. Diuiditur porro tota interior altitudo dictæ fornacis in tria interualla, quorum primum pedem vnũ continet, ſecundum paulo plus dimidio pede, tertium, reliquum totius quantitatis. In ſummo primi interualli aptatur tranſuerſim craticula ferrea, in ſummo ſecundi deuinciuntur duæ virgæ ferreæ tranſuerſim, diſtantes inter ſe quatuor digitorum ſpacio.

Rurſus in imo primi interualli, atque etiam paulo ſupra craticulam in ſecundo interuallo, figurantur orificia

cia

cia duo quadrata forma, cum suis operculis instar quidem gulæ clibani. Inferne quidem quum detergitur, re ita postulante, cineres extrahuntur qui deciderunt è supra posita craticula: superne vero iniiciuntur carbones, & excitatur ignis. Item in fornacis exitu parte magis commoda relinquuntur alia quædam foramina ad emittendam fuliginem.



Hæc igitur de materia, forma, & mensura fornacis sufficiant, cum hac præsente pictura. Craticula, A. ad A. virgæ ferreæ B. ad B. in fornace locari debent.

De numero, qualitate & quantitate vasorum, quæ requiruntur ad opus.

CAPVT II.

VAſa numero ſunt quatuor. Primum figulinum eſt, ex eo quidẽ genere quod multum diuq; durat in igne: cuius forma refert calathum vel reſectum conum ad verticem, iſto I.




modo vt, A. litera indicat, quamuis tamen debeat ad mediam ſui amplitudinem modice intumeſcere, ac ſi ad formam & figurã oui tendere videretur.

Tota demũ eius quantitas, ac primo quidem in altitudine, quadrat cum tertio & ſupremo interuallo fornacis. In latitudine vero ſui orificii, conuenit cum labris orificii fornacis & in latitudine ſui fundi reſpondet paulo maiori interſtitio, quam diſtent inter ſe duæ virgæ ferreæ, ad finem ſecundi interualli fornacis, tranſ-


transuersaliter colligatæ, vt possit iis incumbere.

II Secundum vas cupreum est, & cõstat figura (vt dicunt) ouali, amputata quidem paulo sub vertice, hoc inquam modo. Ea tamẽ preterea collum habet prominens ad quatuor digitos, super incisionis locum, vt hic, B. litera monstrat. Hoc collum deinde superiori sui margine, replicari debet ad angulos sic.






Toti porro vasi correspondens debetur capitellum, hocq; non adeo minimum: hæmisphæricum autem debet esse, & nasi vice tubulo præditum, qui tubus modice inclinatur: ac eundem conglutinari oportet, inter collum (etiam capitello destinatum) & eiusdem ceruicem. Forma inquam erit eiusmodi, vt C. refert.



Adde etiam non esse illi

prætereundum prominẽs quoddam labrum circinatum ex eadem materia cuprea, & illigatum in ambitu ipsius ceruicis, eo pacto videlicet, vt D. signat. Cæterum obturabitur istud genus vasis suo capitello ea ratione vt intra colli sui capacitatem; collũ capitelli exacte recipiat, ita nimirum vt eius orificii replicatus margo, cũ capitelli prominente illo labro, in vnam orbicularem lineam respondeat, isto modo. Quantitas demum istius vasis cum interioris figulini capacitate; ita conueniat, vt ipsum arctius in sese colligi debeat, duobus vel tribus digitis, quam figulinum.





Cum altitudine autem sic respondeat oportet, vt toto capitello (& præterea octo circiter digitis) excedat sub hac fere specie. Tertium vas est dolium communis ampli-



plitudinis & altero fundo carens.

Quartum est receptorium, rei destillandæ, istud sit vitreum, ob commoditatē perspicuitatis & mūdiciei: idemq; formandum est in imo modice acuminatum, & quantitate mediocri. Hæc igitur erant quæ de numero qualitate, & quantitate vasorum ad opus distillandi requisitorum dicere oportuit.

De modo disponendi materiam distillandam, ac vasa distillatoria inter se, nec non distillationis tenorem.

CAPVT III.

Materia in minutissima quæque ramenta contunditur, vel conteritur, eatenus vt non abeat prorsus in pollinē aut mazam: idq; fiet pharmacopœorum artibus. Materia vero iam ita præparata, in vas cupreū cōiicitur, mistim quidē cū aliquot aquę fontanæ mēsuris, vt ꝓ duab. libris materiæ, viginti aquæ eiusdē infundantur. Hac re perfecta, figulinum super duas

duas virgas ferreas in fornace locatur, ipsiusq; margo cũ fornacis margine per argillam subactam copulatur.

Deinde vas cupreum prius obturatum in idem detruditur, sic tamen vt fundum à fundo intercapedine duorum vel trium digitorum distet, quæ intercapedo arena repurgata impleatur simul cum vniuerso spacio resultanti inter cauum figulini, & conuexum vasis: imo vero supra accumuletur, vsque in collum ipsius vasis, si fieri potest.

Tandem vel ad dextram vel ad sinistram partem fornacis, nasus capitelli vasis, dum vas ipsum obturatur compellatur. Deinde pasta & panniculis eius prominens labrum cum replicatione colli vasis diligenter obducatur, postea dolium altero fundo carẽs, in illã partẽ, quã nasus capitelli spectat, erigatur, sup fundo inquam, quo non est priuatum. Deniq; obliq; ipsum in transuersum perforetur,

ex oppoſito ſcilicet, & iuxta naſi capitelli inclinationem.

Præterea tubus etiam cupreus per foramina illius traiicitur, copulatur, & obducitur, ſuperiore quidem parte cu extremitate naſi, inferiore auté cum receptorio vitreo. Demum dolium aqua frigida impleatur, & iam maior pars totius negotii expedita erit: ſupererit tantum vt carbones cõiectos in ſpacium craticulæ fornacis igne incendas, donec vas cupreum vehementer ebulliat: Et eundem ignem foueas donec per vapores cõdenſatos in tubo cupreo penetrante dolium (ſcilicet ob frigiditatem aquæ in eo dolio contentæ) quidquid liquoris inerit in vaſe cupreo, intra receptorium deducatur: quanquam tamen dum extractæ ſunt ex viginti libris ſeptemdecim, vel ad ſummum octodecim libræ, deſiſtas ab opere oportet, ne fiat incendium intra vas cupreum. Tenorem denique diſtillationis ſi requiris, ſimilis fit a-

quæ vini destillandi. Nulla enim temporis intercapedo inter guttam & guttam resideat necesse est, ideoq; breui exhaustum erit fere totum vas, raroq; vltra spacium quinque vel sex horarũ distillatio producitur, si materia inquam, vt posuimus, in pondere conueniat cum aqua vasis, sicut duodeviginti.



Ex quibus satis constat ignem ita temperandum esse, vt is quandoque diminuendus sit (præsertim tamen post distillationis initium, vbi omnia iam incaluerunt (& quandoq; augen-

dus vt in prędicto tenore semper maneat ipsa distillatio.

Et hæc satis sint de modo disponendi materiam distillandam, & distillatoria vasa, ac destillationis tenorem cum obiecta figura.

De industria separandi oleum à suo vehiculo, seu aqua cum ipso distillata.

CAPVT IV.

SI iam cupis separare oleum cuiusuis materiæ distillatæ ab aqua, cuius beneficio effecta est ipsa distillatio, hoc vnum pręmittendum est, nimirum oleum, quod erit extractum liquorem esse. Itaque vi aquæ ebullientis facile è materia avulsum esse, & cum ea reseruatum ac in receptorium deductum. Itaque in eadem aqua oleum inerit, sed non semper in suprema parte. Nam quandoque in ima, quandoq; cōfuse per vniuersam feretur. In ima parte locus illi est, si grauius sit pondere, ipsa aqua confuse per vniuersam feretur, si accidat vt

fri-

frigiditate cōgeletur in nubes&tenuissima vellera. Rursus in vnā partē aquæ pomeant olea quæ crassā & valde compactam substantiam habent: vt cinnamomi oleum, & cariophyllorum,&aliorum complurium.

Quæ vero promiscue dum incrassantur frigore aquæ, vniuersam molē petunt, sunt oleum anisi & fœniculi propter aliquam cōuenientem qualitatem. Neq; est quod subtilius contra aliquis arguat: istud enim experientia quotidiana probatur. Hoc igitur præmisso, si oleum à suo vehiculo separare cupis, da operam primo vt receptorium fundo (vt dictum est) sit aliquantulum acuminato, & præterea instar pūcti perforato, plurib. clauiculi ictibus. Hoc demum foramen tempore distillationis cera tractabili diligēter obturatur. Deinde aqua& oleo distillatis ac iis in refrigerato aëre aliquādiu seruatis, obserua accuratius in receptorio pspicuo, quē locū occupet oleū in aqua, hoc aūt cernes ex

diuersitate coloris. Quod si imum occupat, ablata cera è receptorii foramine, præsto exibit oleum in admotam phiolam, & aqua residebit, si libeat eam seruare occludendo foramen. Sin autem supremum locum tenet, patefacto rursum foramine exhaurietur sensim tota aqua in vas subiectum, & reseruabitur oleum in fundo receptorii, nisi forte per imprudentiam ipsum effundatur citius in vas subiectum quam in phiolam adhibitam. At si oleum cum aqua vehēte in nubes confundatur, percolabitur tota aqua per lineũ pannũ, in aëre dico frigido & distillatione refrigerata. Tũ demũ omne oleum sic coactum in panno residebit, quod postmodũ cultello facile colliges, indeq; in phiolam conicies, per quam tandem si opus est in subtilem liquorem resolues vel minimo calore.

Potest etiam alius quiuis pro industria aliter oleum à suo vehiculo secernere, quod nos quoque varie posse-

possemus referre, si id fore videremus admodum necessarium: aut si via hæc in aliquo deficeret. Hæc igitur de industria separandi oleum à suo vehiculo dicta sufficiant.

EXCEPTIONES IAM DIctarum regularum.

Exceptio prima.

QVæ hactenus dicta sunt de extractione oleorum ex simplicibus, quasi generaliter dicta fuisse velim existimes: quandoquidem omnes siue minores oleorum distillationes quæ accidere possunt minus comprehendunt, nisi pro maiore materiæ oblatæ, quam in exemplo statuebamus, scias in proportione tum augere tum minuere fornacem. Item & figulinũ vas, & cupreũ, ac illius aq̃ seruata inquã omnium forma, nec non & tempore more omnibus competente. Sed tamen si minus olei elicies, molestum erit.

Nam imminuta materiæ quantitate ex quibusdam simplicibus vix decem guttulas educes? Aucta vero materia diuturnitas temporis te fatigabit. Ob quam causam delegerã prædictam quantitatem materiæ & aquæ cum requisitis vasorum formis, in quibus me magis exercui, quo possent esse distillanti quasi norma, ad quam aliarum quantitatum differentiæ examinarentur pro rei necessitate.

Secunda exceptio.

CÆterum hoc etiam excipitur, quod dum oleum ex herbis extrahitur, etiam iuxta propositam rationem, multo maiori vase cupreo opus est, & aquæ copia in eo coniecta, quam cum ex seminibus & aromatibus, ipsumq; vas aptari debet in fornace siue figulino vase & arena, argilla tamen circum illitum cũ fornacis margine. Requiritur enim figulinum, & arena, seminibus duntaxat

taxat & aromatibus: quia ipsa sunt tenuioris substantiæ: vt liquide cõstat ex ipsorum maiori caliditate, & siccitate, quę eadem solutiora & minus tenacia reddunt, id est modice turbulentam educeret: ideoq; ignis vis quodammodo in eis perfectã distillationẽ conturbaret, nisi illis mediis rem (vt fit) moderaremur. Cupreũ autem vas hic longe maius, & cum maiore aquę copia desideratur quoniã herbæ plus loci occupant q̃ semina & aromata. Illæ enim non sunt adeo in sese compactæ: ob quã rem etiam plus aquæ appetunt, ne adurantur. Et hæc de exceptionibus primarum regularum sufficiant.

De aliquot quæstionibus ante dictorum soluendis dialogismus.

CAPVT V.

Svper his quæ dicta sunt in vniuersum multæ quæstiones moueri possunt, quas hic ordine, vt potero, soluendas duxi, quarum prima est.

Cur

I. Cur fornax constat figura rotunda? vt ignis sursum delatus æquabilius vbiq; agat, quod non posset si fuisset laterata ob disiunctionem angulorum.

II. Cur statuis in fornace, inter craticulam, &geminas virgas ferreas spacium, paulo maius dimidio pede? Item cur fornam figulino vasi adscribis similem calatho, aut cono truncato, & inuerso? Hæc duo fiunt, primum, vt iustum locum carbones sic obtineant: secundo vt ignis etiã competentem sedem habeat, in qua aceruatus commodius in subiectam distillationem agat. Coaceruatur autem isto eodem modo inter fornacis latera, & conuexum figulini vasis: quoniam is dum in principio magis viget, maius spacium nanciscitur ob angustiam fundi figulini, sub finem vero dum eius vis euanescit, minus spatii inuenit, propter ampliorem diffusionem vasis figulini.

Cur


Cur vas cupreum constat figura ouali? Quia hæc ob rotunditatem satis capax est. Deinde hæc rotunditas cũ altitudine coniuncta concoctionibus aptior est cæteris omnibus, vt videre est in ventriculo quorundam animalium, qui huic formæ non multum dissimilis est. III.

Cur constituisti capitellum vasis cuprei satis capax & figura hemisphæricũ? Satis capax constitutum est, ne vapores, seu spiritus aquæ & materiæ distillandæ dum in idem conscenderunt, nimium coagantur ob eorum copiam, & etiam propter exitum angustiorem ex capitelli naso: Ideoq; alii ab aliis succendentibus vrantur. Fit porro figura hemisphærica, & non acuminata, vt alii pleriq; solent, ea de causa, vt cõmoti & sub breuiori altitudine reflexi spiritus, æquabiliter, & absque longa mora valeant exitum commodius petere, per rostrum eiusdẽ, in longiorem tubum & receptoriũ. IIII.

Quod

Quod quidem non poſſet accidere acuminato capitello, quia in hoc non eſſet proportionata forma, ſi eius quidem dimenſiones diligenter contempleris: imo vero iidem ſpiritus aceruati ſub vertice tubis capitelli, præterquam quod non niſi difficulter poſſent deſcendere in roſtrum, propter diſtantiam maiorem, ibidem diu retenti adurerentur.

V. Cur non locatur à te dolium ſeu aqua condenſans vapores, ſuper capitellum vaſis cuprei, hoc modo: vt etiam permulti alii ſolent, potius



quam ab eodem procul, vt facis? Quia illa ratione vapores ante exitum cõdenſarentur, & ideo rurſum in vas decidentes iterũ reſoluerẽt ſeſe, ac item ſæpius con-

condensarentur: ideoque ex continua ebullitione perpauci perducerentur ad receptorium: vnde minus olei necessario extraheretur à materia proposita, vel si quid esset, id combustione vitiatum esset.

VI.

Cur non vteris maceratione materiæ in aqua fontana, prius videlicet quam eandem distillationi adhibeas? Quia hoc mihi superuacaneum fore crederetur quum ea atteras: nam ipsa attritio ex æquo soluit, vel potius digerit, vt illa maceratio: quin etiam citius hoc modo expeditur negotium.

Quod si loco aquæ purissimæ tu forte vino albo, aut ipsius aqua vtaris imprudenter, errabis, nam proprios odores & sapores oleorum confundes, & imminues, aut vitiabis istorum odoribus, aut saporibus.

VII.

Cur nõ vteris putrefactione materiæ in fimo vel cineribus, & progrederis inde tua eadem via, quo plus olei elicere possis? Quia fieri

fieri non poteſt vt putrefactio oleū producat, quod non aliquo modo corruptum ſit. Nam materia putrefacta, putreſcit & ipſius oleum: quandoquidem ipſum partem materiæ eſſe conſtat. Hoc inquam patet, oleum eiusmodi ſi non ſtatim breui tamen vitium contrahere. Huc etiam accedit, quod vix iſto modo vel tantillo plus olei depromes.

VIII. Cur igitur abſq; illius liquoris interni ſuffragio non operaris, nimirum per balneum Mariæ? Quia diuturnior eſſet quam oporteret diſtillatio, neque admodum laudabilis, Lente enim agit balneum Mariæ, & oleum in mora ſemper aliquid vitii contrahit, præſertim ſi materia non eſt ſuapte vi humida. Adde his, oleum ipſum hac ratione non poſſe facile aſcendere.

IX. Cur non operaris per deſcenſum (vt vocant) tua eadem via, ſaltem dum extrahis olea grauiora? Quia

via quam ſequor cuncta commodius & minore ſumptu accommodantur in fornace. Item nullum genus olei eſt, quod cum tanta aquæ copia, quæ in vas cupreum infunditur, facile non euolet in vapores, cum ipſa aqua & in receptorium eo modo deferatur.

Cur vas concoctionis non potius paratur ex vitro, aut figulina materia, quam cuprea? Præſertim cum cuprum calefactum odorem rubiginis, vel aliam non probam qualitatẽ oleis inducere poteſt? Conflatur ex hac materia, ne fiat iactura rerum, quum periculũ ſit ne alia vaſa frangantur. Deinde nullum odorem diuerſum vel prauũ oleis induci in hoc comperimus, quandoquidem non diu, ſed ſine mora, non lente ſed cum impetu, non pauca ſed magna aquæ copia, vt viſum eſt, ignis operatur. X.

Quæ dum inter ſe conſentiunt concoctioni prorſus aduerſantur, quæ ex cupro rubiginoſum odorem

& aliud quoduis accidens attrahere ſolet: nimirum propter moram & penuriam liquoris.

Quibus tandem rebus vſui erit aqua per quam facta eſt diſtillatio? Iisdem fere quibus vſui eſſe ſolet aqua diſtillata ex ſimilibus ſimpliciũ generibus per Alembicum.

Nam vtraque odorem ac ſaporem reportat è ſimplici ipſo, vi quadam coniunctionis & concoctionis. In hac igitur per Alembicũ diſtillatione educitur aqua, quæ calefaciente Sole in nutritionẽ, auctionẽ, & naturam ſimplicis abierat. In illa autem de qua agitur, aliter calefacta, nihilominus inſinuat ſeſe in materiam cõminutam: Vtrinq; vero extrahitur aqua (vt omnes ſciunt) ignibus incẽſis: ob quas res vix natura differunt, vt experientia didici.

Nunquid ex hac aquæ copia extrahi poteſt parua aliqua quantitas, quæ omnem odorem & ſaporem totius aquæ quaſi accumulatam reportet.

tet.

fiet: vt de aqua vini fit, quæ omnem vim magnæ copiæ vini præ se fert? Hoc etiam hic fiet si purgato vase cupreo, vniuersam illam aquam in idē rursum infundas: Postmodum reliquis dispositis & peractis vt in distillatione oleorum dictum est, ex viginti mensuris vnam tantum mensuram aquæ, vtpote primo extractam serues. Ea enim vim totius liquoris in se reconditam habebit. Causa est quia odor & sapor quos iam extraxerat aqua, ex coctione & mixtione, tum ipsa materia in calore præsertim cōsistunt, qui calor commodus à calore fornacis, statim superius euolat, ac in receptorium transfertur. His accedit quod cum ipse calor commeare in receptorium non possit, nisi comitante liquore in quo inest, illius liquoris prima mensura ea est quæ totius aquæ seruat odorem & saporem. Atq; hęc non minus sunt singularia ac scitu digna, quam ea fere quæ de oleis prius dicta sunt.

XIII. Multa iam dixisti de oleis simplicium, ac de aquis cum quibus distillantur: sed quid sit oleum simplicis nondum attigisti. Oleum simplicis nihil aliud esse duco, quã vnctuosum quiddam seu humidum radicale, quod vocant, quod dat esse rei cui inest, non aliter quam forma. Et hoc constat ex eo quod semel sublato eodem vnctuoso, prçter feces nihil speciei simplicis remanet.

XIIII. Verum horum duoru vel vnctuosum simplicis, vel vis eiusdem odorifera, comitata liquore aqueo, sicut nuper meminimus, vocatur q̃nta essentia? Neutrum eorundem, nisi forte imperite: nam nulla prorsus natura corporea simplici inest, quæ aliunde dependeat, quam à specie rei quę ex quatuor elementorum certa contemperatione constat. Si id enim fieri possit, ablatis quatuor qualitatibus, aliquid superesset præter feces, idq; diuersum tum ab vnctuoso, tum ab igneo (vt dictum est) liquoribus,

quod

quod constat esse falsum. Rursum si id contingere posset, coniunctis iterum fecibus cum vniuerso vnctuoso & igneo liquore prius separatis, certe denuo non instaurarentur omnes simplicis qualitates in odorem & saporem, sed aliquid eorum deperiret, quod etiam falsum est.

Quęritur an vnctuosum illud pręditum sit quatuor qualitatibus elementorum, vel iis tantum ex quibus vim saporis & odoris contrahit, id est, an caliditatem & siccitatem solũ habeat, vtpote ab igneo elemento? Præditum est quatuor qualitatibus, quatenus in eo subsistunt odor & sapor, qui in vnico elemento vel duobus vel tribus esse non possunt, nisi in aliquo composito ex quatuor, vt experientia facile elici potest: quamuis in eo oleo reliquæ qualitates sensibus non percipiantur, quia videlicet ab eius odoris & saporis efficacia penitus obruuntur. Adde his, si nullum est elementum simplex, quomodo XV.

ſimplex erit iſtud oleum, quod non plus eſt quam elementum?

XVI. Cur tantum ex ſiccis & calidis ſimplicibus extrahitur? Quia reliqua ſimplicia, etiamſi habeant aliquid eiuſmodi eo tamen nõ abundant, ſed illius loco plus aquei humoris acidi, & nitroſi aut ſalſi eis ineſt. Et cum oleo non abundent, maiore diſpendio rerum & temporis, quidquid ineſſet extraheretur, quam neceſſitas poſtularet. An hoc in plerisq; verum eſt non tamen omnibus? Forte enim ex papaueris etiam ſeminibus & hyoſciami & aliis quibusdã tũ ſeminib' tũ herbis frigidis pingui ſucco imbutis, olea non minus q̃ è calidis arte di-

XVII. ſtillationis elici poterunt.

Qui fit vt oleum & liquor aqueu diſtillata ſimul, eundem reportent o dorem & ſaporem ſimplicis? Quomodo, inquam, omnis non retinere tur ab vnctuoſo ipſo, quum ſit velut anima ſeu forma, quæ dat eſſe rei Cauſa eſt, quia concoctione vehe men

menti magna fit ſolutio, adeo vt vnctuoſum quamuis tenax minime valeat omnem odorem & ſaporem retinere quin aliquid ab eo auferatur per aquam cum qua diſtillatur, quæ etiã aptiſſima eſt eius conſeruationi.

Quo tempore commodius colligemus & diſtillabimus herbas, ſemina, & aromata? Semina & aromata quo recentiora diſtillabuntur, eo præſtantiora olea reddent, præſertim tamen aromata. Herbæ autem poſtquã collectæ & in vmbra deſiccatæ fuerint, vno aut altero poſt menſe etiam opportune diſtillabuntur. Colliguntur autem dum contingit eas in ſummo vigore eſſe, id eſt, quũ ſe in flores induunt. Quod ſi hæc omnia ſerius fiant, quam hic præcipitur, oleum ſpumoſum & rancidum magna ex parte deprometur, ac ipſum in minore copia. Cæterum ſi herbæ recenter diſtillentur, oleum copioſius educetur quam oportet: nam phlegma abundabit, & propte- XVIII

rea idem minus efficax & odorife-
rum erit.

XIX. Vltimo quare distillationes gummorum, & mineralium quorundam prætermisisti, & ante dictis non adiecisti, quo videlicet ars paulo generalior distillandi abs te prodire posset? Id feci quia illa (vt hæc) non tam simili ac singulari via agi videbantur, sed longe multiplici & fere nota omnibus qui his reb⁹ incumbũt. Nec vero eadem vsq; adeo tuto, & frequẽter à medicis (quibus harum rerum exactiorem cognitionem trado) in vsum reducuntur, quemadmodum reliqua. Quare præter id quod in ipsis plus temporis & rerum insumẽdum fuisset, quam vtilitatis sperandum, stylum longe vberiorem nostro competiuissent. Quamobrem vt sunt ab aliis iam descripta, sic eadem consulto omisi: & vt debui nihil ipsorum aggressus sum, neq; posthac aggrediar, sed me intra metas inueniẽdarum & tradendarum machinarũ

to-

totum continebo, quia in his maius emolumentum posteris me relictuRum sentio: quanquam tamen iam me nusquam pœniteat, sub fauore nobilissimi Stegeri, & in gratiā multorum, illa communia fecisse, quæ priuatim in hoc genere hactenus detenta fuere. His igitur contentus esto quæ de quæstionib. soluendis antea proposuimus.


EPILOGVS.

HActenus ergo (lector beneuole) gratia nobilissimi viri STEGERI vniuersalem artem & absolutam, hoc est, omnium simplicissimam & compendiosissimam distillandi olea ex herbis, & seminibus temperatura siccis & calidis, nec non ex aromatibus descripsi: quam si diligenter animo impresseris, mira, (præsertim si medendi rationem calles) in medicinæ laudem præstabis.

Quod si quid minus politum præteriimus, id tamen æqui boniq; con-

ſulas rogo, & noſtræ tenuitati ſemper faueas: Pro eo vero quod fuerit melius paulo fortaſſe elaboratum, DEO inprimis, & deinde horum laborum fautori gratias ſemper agas.

FINIS



RERVM ET VO
CVM SCITV ET MEMO-
RATV DIGNARVM IN
hoc opere
Index.

A.

Aqua

Car-

I.

L.

Se-

Ta-

T.

V.



X.

Z.



